

Re 97. 4



TRACTATUS JURIDICUS
DE
CONVENTIBUS
DEPUTATORUM
NOBILITATIS

vulgò

Von denen

Ausschuss-Tägen

IN LUCEM EDITUS

à

PHILIPPO REINHARDO GEYLING

AB ALTHEIM Equite ALS.

✠(o)✠

ARGENTORATI,


Typis & Sumpibus JOHANNIS BECKII.

M DCC XIV.






ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO
COMITI AC DOMINO
DOMINO
JOHANNI REINHARDO
COMITI
IN
HANAU REINECK ET ZWEYBRÜCKEN
DYNASTÆ
IN
MÜNTZENBERG LIECHTENBERG
ET OCHSENSTEIN
EPISCOPATUS ARGENTORATENSIS
SUPREMO MARESCHALLO
ET
ADVOCATO HEREDITARIO
Domino meo Clementissimo.



ILLUSTRISSIME AC CELSISSIME
COMES,
DOMINE CLEMENTISSIME,

 *Unquam equidem, CEL-*
SISSIME COMES, sine
summa Tui veneratione
pro-

procedere in conspectum TUUM
audebo, nunquam tamen etiam,
 DOMINE CLEMENTISSIME, *sine*
summa animi mei TE compellabo
fiducia. Cum enim ILLUSTRIS-
 SIMAM DOMUM HANOICAM
eminentissimis, quibus coruscas,
virtutibus, ad supremum gloriae fa-
stigium evexeris, tam facile sane
quam disertissimus Orator, alloqui
 TE poterit etiam infacundissimus
 quisque. Nam quoniam paria ex-

):(3 celsæ

celsæ indoli TUÆ verba nemo pro-
ferre vel potest vel audet, solo utiq̃
animi affectu iis, quibus TE ad eun-
di honor contingit, in demonstnan-
da erga CELSITUDINEM TUAM
reverentia, erit certandum. Qua
in re quin nemini concedam, eo mi-
nus est dubitandum, quod calen-
tem ab illo sanguine animam acce-
pi, qui in præstandis TIBI, COMES
ILLUSTRISIME, servitiis est ex-
haustus. Et quidni confidentissi-
mum

mum me redderent innumera illa,
quibus me, DOMINE CLEMEN-
TISSIME, præ multis aliis, beasti,
admirandæ gratiæ TUÆ benigni-
tatisque documenta? Pro quibus
tantum abest, ut in tenui hacce,
quam TIBI offero, charta, grati
animi monumentum extruere ve-
lim, ut potius certissime sim per-
suasus, nec æra nec marmora esse
suffectura, si tam diu meæ erga CEL-
SITUDINEM TUAM pietatis signa
debe-

deberent extare, quamdiu gloriosissima
TUORUM, ILLUSTRISIME
COMES, meritorum fama perdurabit.
Nihil itaque aliud intendo,
quam ut CELSITUDINEM
TUAM in conferendis mihi beneficiis
fuisse propensissimam, me in iis deprædicandis
esse infirmissimum, publice profitear.
Dubitare tamen me non sinit hæc ipsa inusitata,
ILLUSTRISIME COMES, clementia
TUA, fore, ut gratioso vultu pagellas


gellas hasce aspicias, præcipue cum
 palam constet, literarum studia,
 bonasque artes, incredibili sem-
 per generositate à TE fuisse pro-
 tectas. Quo ipso, TE non tan-
 tum gubernandis amplissimis il-
 lis, quibus Divina TE præfecit
 providentia, ditionibus, sed ad-
 ministrandis etiam regnis ostendisti
 parem. Utinam vero, DOMINE
 CLEMENTISSIME, vota civium
): (): (Tuo-

Tuorum exaudirentur, prodiret-
que ex Augusto thalamo TUO
FILIUS, qui, ex TUIS in tractan-
do Reipublicæ clavo peritissimis
manibus, fasces regiminis accipe-
re aliquando posset. Quam triste
enim, quam deplorandum foret, si
DOMUS HANOICA, ab immenso
jam tempore, ab infinitis prope-
modum annis, in toto terrarum
Orbe celebratissima, cui Tu per
faces

*faces nuptiales, accepto à SCEPTRIS
BORUSSICIS fulgore splendidissi-
me collucentes, novum conciliasti
jubar, una TECUM intercideret!*

*Faveat itaque largissime Tibi
propitium Numen, ILLUSTRISSI-
ME COMES, ut non solummodo
CELSISSIMI STEMMATIS TUI
memoriam, sed vivas quoque spi-
rantesque TUI IMAGINES in omnia,*

):(:):(2 quæ




*quæ adhuc ventura sunt, secula
transmittas.*

Optare hæc voluit atque debuit

ILLUSTRISSIMÆ
CELSITUDINIS
TUÆ

Devotissimus ac obsequiosissimus

PHILIPPUS REINHARDUS GEYLING
ab ALTHEIM.



Generosissimo ac Eruditissimo Domino,

D O M I N O

PHILIPPO REINHARDO GEYLING

ab ALTHEIM, Equiti Alsato

S. P. D.

JOH. HENR. FELTZ, D. P. P.

SIcuti ante hoc biennium, & si
quid amplius, singularis mihi laetitiae,
gratulandique materia ex eo nascebatur,
quod Te, Generosissime Domine, in Cathedram
solennem deducere licuit; ita ab eo inde tem-


):(:):(3

pore

pore novam subinde gaudii ansam, & amplio-
 rem semper admirandi pariter, ac gratandi, oc-
 casionem liberaliter suppeditasti. Nam & studia
 illustrius cepere incrementum, ad summum mox,
 quod in Academia habemus, fastigium ascensura
 & morum suavitas, Conversationisque pruden-
 tia pariter & decor eam ἀκμῆν adeptus est, ultra
 quam haud datur progressus. Venerantur in Te
 Omnes, quibus intimior TUI obtigit notitia,
Virum solide eruditum, admirantur in TE *Vi-*
rum ad munia publica tractanda ita efforma-
 tum, ut ad id natus, & à natura peculiariter
 destinatus merito censearis, ut genuinum Viri
 Civilis, quem *Politicum* dicimus, exemplar ex-
 hibeas. Et hac quidem ratione id efficitur,
 ut, qua merito alias posses superbire, antiquis-
 simi

fimi, & illustriffimi ftemmatis gloria inter tot rariffimas, TIBIque proprias dotes vix in cenfum veniat; nifi, quod jucundius fit, gemmas auro inclusas afpicere, quam fimplicem eorum nitorem intueri. Id autem prorfus eximium eft, & univerfo Equeftri Ordini non poteft non fummam parere voluptatem, quod *Berckhemij*, *Geilingique* Equites, & Nobiles immediati tam folide, tam eloquenter jura Equitum, & privilegia Nobilitatis Immediatæ erudito Orbi expofita fiftant, & defenfâ. Neque dubitandum eft, quin hæc fpecimina fint incitatura Principes, ut ambitiofe fibi jurium fuorum defenfores afcifcant eos, qui propria jura pari cum eruditione & facundia tam mafcule tueri norunt. Ego fane felicem illum

Prin-



Principem prædicabo, cujus TU, Politiffime
Domine GEYLING, ministerio TE man-
cipare volueris, certo perfuafus, omne, quod
ullatenus à Miniftro fperari potefl, emolumen-
tum à TE in Remp. effe redundaturum. Id uni-
cum precari liceat, ut, ubi inclytis muneribus
honoribusque, quales Virtutes TUÆ meren-
tur, TE ornatum confpicias, ejus Patronum
agere velis, quo Doctore uti non es dedigna-
tus, utque honorem Univerfitatis, cujus Ci-
vis extitifti, TIBI, & in pofterum de meliori
habeas commendatum. Vale.

Scribebam Argentorati
D. IX. Augufti
M DCC XIII.

PRÆFA.



PRÆFATIO AD LECTOREM.



Um omnis, qui ad scribendum animum appellit, de eo maxime debeat esse sollicitus, ut dignum Eruditorum examine sibi proponat argumentum, cumque majus operæ pretium quilibet se facturum credat, in causæ alicujus singularis momenta inquirendo quam ea tantum tradendo, quæ in singulis juris systematibus obvia passim occurrunt, veniam, nisi fallimur, à B. L. facile sumus impetraturi, si in feligenda Dissertationis, uti vocant Inauguralis materia dubios nos aliquandiu hæsis-

A se,

se profiteamur. Adeo quippe in plurimis, iisque illustrioribus Jurisprudentiæ Capitibus versatam deprehendimus peritiorum industriam, ut vel parum vel nihil alieno reliquerint labori. Placuit vero tandem *De Conventibus Deputatorum Nobilium*, utpote à nullo hæctenus ex professo tractata, tractatu vero dignissima materia. Equidem non dubitamus, fore, in quorum judicia hoc ipsum incursum est institutum, verum uti difficiles illos cunctarum rerum censores exhortamur, ut suas prius examinent virtutes, ne dum gravantur pondere suarum, iudices fieri velint alienarum culparum, ita boni Viri psephismata non metuimus, qui honestos conatus laudare potius, quam carpere novit. Quo etiam nomine B. L. adhuc compellamus, ut si quos hic deprehenderit errores scribentis juventuti ingenique tarditati condonet.

DE
CONVENTIBUS
DEPUTATORUM
NOBILIIUM,

vulgò
Von den Ruffchüß-Bägen.

CAP. I.

DE
NATURA CONVENTUUM
IN GENERE, DEQUE VA-
RIIS EORUNDEM DI-
VISIONIBUS.



Uodfi præfationes & libentius nos ad lectionem propositæ materiæ perducunt, & cum ibi venerimus evidentiorum intellectum præstant, (verba sunt *Caji l. 1. ff. de Orig. Jur.*) haud incongruum erit, de Conventibus in genere pauca quædam præfari. Constat autem ab antiquissima retro memoria apud plerasque gentes obtinuisse morem, quo ad firmandam communi consensu salutis publicæ curam vel universus populus, vel generalis sal-

tem Ordinum Senatus convocabatur. De veteri Germanorum Gente testatur hoc *Tacitus de mor. Germ. & in Vit. Agric.* De Romanis omnes promiscue rerum Romanarum Scriptores. Quotiescunque enim aut Magistratus creandi, aut leges ferendæ, aut judicia exercenda erant, solemnes universi populi Romani in Campo Martio ad Tiberim celebratos fuisse conventus, unanimi ore tradunt. Aucta etenim aliquo modo Civitate Roma, in tres tribus universam multitudinem divisit Romulus primus illius Conditor, quarum quælibet decem sub se comprehendebat Curias, quas qui regebant Curiones vocabantur v. *Plutarch. pag. 30. Dionys. 2. pag. 82.* & inde duplex illa Comitiorum Curiatorum scilicet & Tributorum forma suam trahit originem; Populo deinde Romano prudenti Servii Tullii consilio in classes & Centurias distributo accesserunt illis Comitia Centuriata quorum toties in Jure Romano mentio fieri solet. v. de hac ultima distributione in *pr. Dionys. 4. p. 220. 221. Plutarch. de fort. Rom. p. 322. Liv. l. 1. c. 1. n. 42. 43. 44. p. 13. & 14.* De Conventuum vero hic enumeratorum inter se differentia *Nicolaus Gruchius Rothomagensis* in peculiari opere *de Comitibus Romanorum.* Sunt & aliis adhuc gentibus suæ congregationes, verum enarrandis illis supersedemus, de Imp. Rom. German. quænam in illo Caroli Magni & insequentium mox Imperatorum ævo fuerit, & quænam hodie sit Comitiorum facies pauca quædam proposituri. Et Caroli quidem M. tempore teste *Hinemaro epist. 3. c. 29. 30.* talis

lis fuit consuetudo, ut bis in anno placita (nam placiti, Conventus, Synodi nomine Comiticia ab illius ævi Scriptoribus indigitantur duo tenerentur, unum tempore verno, quando ordinabatur Status totius regni ad anni vertentis spatium: alterum vero sub finem anni, in quo jam futuri anni status tractari incipiebatur, si forte talia aliqua se pramonstrabant, pro quibus necesse erat, præmeditando ordinare; ad prius placitum omnes Regni Primates seu Senatores convocabantur, ad hoc vero præcipui tantum Consiliarii ac Seniores. Si quæ autem interea emergebant in Republica omnium Ordinum consilio expedienda, quæ moram non patiebantur, extra ordinem fuerunt Comiticia indicta, & quidem pro lubitu Imperatoris, uti elucescit ex *Sigefrid. Prebyter l. 2. epit. annal.* 1302. Erat scilicet tum & proxime insequentibus temporibus Majestas cum Primatibus nondum communicata, nec penes Concilium generale, sed obtinuit Monarchia, ast temperata, & legibus moribusque gentis adstricta, quæque libertatis umbram non adimeret subditis. *Bæcler. de reb. Secul. IX. c. 8. in Carol. M.* Duravit ista Reipublicæ forma, & talis Comiticia indicendi & habendi consuetudo, usque dum, quibus Proceres Imperii ante administratorio nomine præerant, proprio postea jure possidere cœperunt terras. Sensim autem sensimque hæc eorum aucta atque diltata fuit libertas, & eò tandem excrevit, ut tantum abfuerit, ut sufficientia ei reprimendæ remedia opponere potuerint Imperatores, ut potius Super-

rioritatis Territorialis jus una cum voto in Comitibus decisivo per pacem Monasteriensem plenissime ipsis stabilire necesse habuerit Ferdinandus III. v. dictæ *pac. art. 8. §. 4.* Quæ insignia eorum jura cum singulis insequentium Imperatorum Capitulationibus solennissime fuerint confirmata, adeo ut in præfata qualitate adhuc hodie perdurent, colligere haud difficulter quilibet poterit, quantum ab illis, quæ Carolingorum temporibus celebrabantur, moderna distent Comitibus. Illa enim ab Imperatoribus non magna sæpius necessitate motis indicebantur pro lubitu, & licet consuluerint quandoque Optimates regni, licet negotia publica interdum egerint cum consilio fidelium, non alia tamen quam Consiliaria horum fuit auctoritas, & superior eorum placito Cæsarum potestas. Hodie vero, quoties ea exigit publica Imperii necessitas & utilitas *Instrum. pac. art. 8. §. habeantur.* etiamnum quidem Comitibus indicit Imperator, verum non nisi prævio Electorum consensu *Capitul. Ferdin. IV. art. 14. Leopold. art. 17. Joseph. §. 16. Carolin. art. 13.* quo impetrato omnes necessariò convocandi sunt Imperii Ordines non ut per modum consilii & alieno jure suffragia ferant, sed ut, quæ vera & genuina Civis Imperii nota est, proprio suo jure deliberationibus intersint, ac circa res, quæ ad summam Reipublicæ Germanicæ Majestatem ejusdemque administrationem spectant, communi voto decidendas, actuali suo consensu concurrant. Sunt enim Comitibus Imperii secundum *Bertram. de Comit. n. 8. Conventus*

*ventus totius Corporis Imperij ad aliquid deliberandum decernendumve Reipublica causa instituti. Totius, inquit, corporis Imperij, Comitiorum Universalium naturam delineans; à quibus probe distinguendi Conventus particulares, quorum in supra citato Hincmari loco aliqua etiam reperies vestigia. Qui cum varias suo ambitu complectantur species, cumque ex earum numero aliquam in sequentibus examinandam nobis proposuerimus, præcipuarum hic mentionem facere haud inconueniens ducimus. In iis autem explicandis eò brevioribus nobis esse licebit, quò majorem illis impenderunt operam omnes fere Juris Publici Doctores v. præter alios *Conring. exercit. 9. de Comit. Imp. Germ. § 61. & seqq. Arumæus de Comit. c. 2. Limæus l. 9. c. 1. n. 227. & seqq. Schvveder. part. spec. sect. 1. c. 31.* Congrediuntur autem vel Electores tantum, & dicuntur Conventus Electorum, qui pro diversitate negotiorum in *Wahl- & Collegial- seu Churfürsten-Tåg* distinguuntur. Vel conveniunt Commissarii Cæsarei, Electores, & Deputati Ordines Imperii de certis negotiis salutem Imperii cum primis concernentibus deliberaturi, & appellantur tales Conventus Deputatorum Imperii Comitia ordinaria (ordinari *Reichs-Deputations-Convent*) à quibus omnino discernendæ sunt Deputationes Comitiales, quas extraordinarias vocamus. Dantur porro Conventus Visitatorum Camerae (*die Visitations-Täge*) ad corrigenda potissimum personarum judiciiue Cameralis Processus vitia. His accedunt Conventus*

ventus Circulares, (die Crayß-Täge) in quibus coëunt Status Circulares ad deliberandum de rebus Circulo totique Imperio necessariis ac utilibus, qui prout vel omnium Circulorum Duces, vel aliquot duntaxat Circuli, vel unius tantum membra conveniunt, triplices potissimum constituuntur. Addi quoque merentur Conventus Principum (die Fürsten-Täg) Conventus Comitum (die Grafen-Täg) Conventus Nobilium (die Ritter-Täg) &c. qui omnes quomodo instituantur ac celebrentur, videre est apud eos, qui peculiaribus operibus de iis commentati sunt inprim. vero Sprenger. *Lucern. p. 63. Ahasv Fritsch discurs. de Conv. Con. Imp. Knipschild. de Nobilit. & de jure Civitat.* Nostrum hic est, de Nobilium Conventibus ad meliorem Dissertationis nostræ intellectum nonnullas adhuc in medium proferre partitiones. Dividi autem vulgo solent in Universales, cum omnium Circulorum Suevici, Franconici & Rhenani, & inferioris olim Alsatia districtus Directores & Adjuncti conveniunt & Germanico idiomate gemeine Ritterliche Correspondenz-Täg dicuntur, & particulares, qui vel Circulares sunt, Creiß-Täg/ vel quaternionales, seu locales, Viertel-Täg. Circulares vocantur, ubi unius Circuli omnium quaternionum Directores, Capitanei ac Consiliarii congregantur, ad communicanda invicem de rebus ad Nobilitatem illius Circuli spectantibus consilia. Locales sunt vel omnium membrorum, quando scil. omnes & singuli illius districtus Nobiles, alle Adelige Mitglieder/ coëunt;

unt; vel Deputatorum tantum. De illis eruditè aliquot ab hinc annos in solenniori panegyri differuit Gen. Dn. de Berckheim Consobrinus meus æstumatissimus, qui eo ipso ansam & occasionem mihi præbuit de posterioribus Deputatorum scil. Conventibus in chartam quædam conjiciendi. Sine ulteriori itaque mora ad rem ipsam transeo.

CAP. II.
DE
VERBORUM EXPLI-
CATIONE.

ANtequam autem ad materiæ per quatuor causarum genera evolutionem, Methodum alias haud insuetam, descendamus, à nominis examinatione juxta receptum, nec suo usu carentem in Academiis morem, ordiri animus est. Occurrit autem primò vocabulum **CONVENTUS**, quod à voce composita **CONVENIRE** suam originem trahere ipsa significationis efficacia demonstrat. Dicitur enim **Conventus** multitudo hominum in unum conveniens seu coacta locum.

Variaè vero notari merentur vocis hujus significationes. Ita *Sextus Pompejus Festus de verbor. signific.* quatuor illius enumerat modos. Unum, cum quemlibet hominem ab aliquo conventum esse dicimus; Alterum, cum significatur multitudo ex pluribus generibus hominum contracta in unum locum; Tertium, cum à Magistratibus judicij causa populus congregatur; (Sciendum enim est, Romanos in certas dioceses

B

seu

feu circulos divisisse provincias, inque iis juri dicundo constituisse oppida, quæ Conventus dicebant, uti eorum meminit *Plinius* l. 3. & 5.) Quartum denique eum vocat, cum aliquem in locum frequentia hominum supplicationis aut gratulationis causa colligitur. Aliis vocabulum hoc denotat districtum jurisdictionis Episcopalis: Sic in *Consil. Toletan. IV. c. 35.* hæc habentur: *Sicut Diæcesin alienam tricennalis possessio tollit, ita territorij Conventum non adimit. Ideoq; Basilica, quæ novæ condita fuerint, ad eum procul dubio Episcopum pertinebunt, cujus conventus esse constiterit.* Sæpius porro hoc nomine venit Ecclesia, item collegium Monachorum; prius enim comprobatur *concilium Agath. c. 21.* posterius vero *Ordericus Vital. l. 3. p. 480.* Nonnullis denique fumitur pro pacto feu conventionione. Ita ex pacto & conventu ab aliquo discedere dicunt *conf. Fabr. Lexic. voce Conventus.*

Sicuti autem multiplex vocis hujus existit significatio, ita variis non minus nominibus illam efferunt Scriptorum. Quibusdam enim vocatur Concilium. *Günther. in Ligur.*

*Concilium Procerum de toto corpore Regni
Convocat — —*

Alibi congregatio. *A. B. c. 12. §. 3.* Sæpius etiam in Imperialibus Constitutionibus, cum in Historicorum & Poëtarum monumentis posita ejus loco deprehendes *Dieta, Placitorum, Curia, Synodi* vocabula. *Arumæus de Comit. c. 1. n. 30. & seqq.* Germanico idiomate dicitur *Hoff/ Versamm- lung:*

lungs=Tag &c. Gallis vero *Assemblée, Diette, Parlement.* v. *Estienne Pasqu. l. 2. des recherches de la France chap. 2. p. 59.*

Cæterum Conventus verbo nomen debet vox Conventualis. Sic Conventuales fratres dicuntur Monachi, qui Collegialiter in Conventibus vivunt v. *du Fresne Gloss. voc. Conventus.* Non minus ab eodem descendit diminutivum, Conventiculum, quod denotat congregationem absque auctoritate, permissione ac licentia superioris institutam, quæ cum teste experientia seditionibus & rebellionibus ansam haud raro præbeat, non immerito in bene constitutis regnis præcavere solent Imperantes, ne à subditis talis celebretur. *Mynsing. observ. cent. 6. obs. 2. n. 1.* Et huc collimare videtur illa Regis Christianissimi de non habendis absque speciali illius ac expresso consensu Nobilium Conventibus prohibitio, quam impetratis anno 1680. pro transferendo ex Argentinensium Civitate in Castrum Nidernhemienſe Nobilitatis Alſaticæ tribunali literis patentibus inseruit. Qui enim ob bonum & licitum finem ineuntur, non prohibiti, sed omni jure permissi sunt. v. *lettre de Cachet du Roy du 6^me Mars 1681.* ubi conventus omnium membrorum universalis quotannis celebrandi licentia conceditur.

DEPUTATUS dicitur à composito verbo DEPUTARE, quod in proprio ac nativo suo significato idem notat ac abscindere, refecare &c. Non minus tamen eodem utuntur pro æstimare, censere &c. Ita *Terent. in Phorm. Deputare in lucro,* ait. Nobis hic si-

gnificat ex certo ordine ad certa negotia expedienda aliquem constituere. Cum vero vocis DEPUTATUS usus alius olim fuerit, alius nunc sit, non abs re erit, paucis hanc evolvere ambiguitatem. Et primo quidem apud Romanos interdum dignitatis, interdum servilis conditionis nota fuit. Quemadmodum enim in *l. 7. C. de palat. sacr. larg.* dignitatibus eorum accensetur, qui ut officiales Comiti sacrarum largitionum subsunt; ita in aliis passim juris textibus servi Deputatorum nomine veniunt. Duplicis autem potissimum generis fuisse videntur, alii operibus publicis, alii domesticis servitiis destinati. Illorum meminit *Nov. 85. c. 2. & l. 6. Cod. de serv. fug.* ubi deputati fabricenses dicuntur, qui in sacris fabricis arma cudebant & fabricabant, & quorum præpositi Primicerii fabricæ vocabantur. *du Fresne Gloss. voc. Deputati.* ubi & aliorum Deputatorum Scholæ scil. agentium in rebus, Deputatorum Equitum & Peditum &c. mentio fit. Eorum vero, qui ad domestica servitia lecti erant, nonnulla reperimus vestigia in *l. 3. §. sed quod ff. de pen. leg.* ubi Deputatos in villis eos appellat Mutius, qui circa Patremfamilias sunt, ut illius curam habeant. Aliam vocis hujus notationem habet *Rigalt. in Gloss.* ubi Deputatos eos vocat, qui ad reficiendos in prælio vulneratos ex singulis ordinibus seligebantur. Nostro ævo propius accedit ea significatio, qua Deputati dicuntur illi, qui exigente necessitate vel utilitate communi ab iis mittuntur, qui Legatos mittendi jus non habent; v. g. è subditorum numero ad Principem.

cipem. Et hinc etiam subnata est subtilis illa inter **Gesandten** & **Abgesandten** differentia. *Nolden. de Stat. Nobil. c. 17. n. 147.* Nobis maxime hic arripet illa Deputatorum descriptio, qua indigitantur selecti ex certo ordine ad pertractanda non foris, & apud externos, sed domi, commissa sibi ab eodem ordine negotia.

Dicuntur vero alias haud parum, licet inter se differentibus nominibus Capitanei, Selecti, Directores, Consiliarii; Germanicè **Außschuß/ Râth/ Hauptleut** &c. Hinc Deputationes seu Deputatorum Conventus communiter appellantur **Außschuß-Täg/ Deputations-Convent** & **Recessus** ibidem facti **Deputations-Recesss**.

Circa vocabuli Nobilis Etymologiam mire variant Doctores. v. *Knipschild. l. 1. c. 1. n. 1. & seqq.* Nobis cum eodem omnium optime videtur derivari à noscendo, quasi dicamus noscibilem seu omnibus notum; inde ignotum pro ignobili *Horatius* dixit *l. 1. Sat. 6. v. 6.* Appellamus autem primo Nobilem eum, qui clarus, qui insignis, qui excellens in suo genere existit. Ita *Cicero: Magnus & Nobilis Rhetor Isocrates fuit.* Non vero in bonam tantum, sed & in malam partem eâ voce utuntur. Sic idem *Cicero IV. Verr. Nobile facinus,* & *Liv. l. 39. Nobile scortum,* dixerunt. Nobilis secundo vocatur is, qui illustri ac summo loco natus, quique secundum politicam potestatem ac potentiam superior aliis habetur, & hoc sensu ipse Imperator *Nobilissimus* appellatur. Ita in *l. 11. C. de transf. Valerianus Nobilis Caesar* & in *l. 3. ff. de Nat. restit.*

M. *Antonius Sanctissimus & Nobilissimus Imperator* vocatur. Simili fere ratione superiorum temporum Scriptores sub Nobilium voce Principes ac Comites intellexisse docet nos *Histor. Austr. apud Freher. tom 1. Germ. rer. Script.* ubi *Rudolphus Rex Curiam celebrasse fertur; ibiq. de Consilio & voluntate Nobilium qui aderant, Albertum filium suum Ducem Austria & Stiria constituisse; quod autem Nobilium nomine Principes ac Comites hic indigentur, discimus ex Lehmanni Chron. Spirens. l. 5. c. 105. p. 625.* Specialius tertio Nobilis pro eo sumitur, qui vel Natalibus vel speciali concessione Nobilitatem natus, & plebejorum numero exemptus, infra Barones tamen constitutus est; Cum vero eorum alii Principi Statuive in Imperio subditi sint, qui *Ge-mittelte von Adel/ Landsassen* dicuntur, alii Imperatori & Imperio immediate parent, & ab aliorum Statuum jurisdictione liberi existant, *die Freye von Adel/ die ohnmittelbahre freye Reichs-Ritterschafft &c.* famosior quarto vocabuli Nobilis erit significatio, si Immediatis Imperii Nobilibus, uti hic loci, tribuatur. Plura qui circa voc. hujus Homonymiam desiderat adeat *Knipschild l. 1. c. 1. & Vechner. de nobilit. c. 1.* Variis vero epithetis jam olim condecorati fuerunt & adhuc condecorantur Nobiles, quorum præcipua hic annotabimus. Et olim quidem haud raro dicti sunt Ministeriales, i. e. Ministri Regii Aulici, *Königliche Hoff-Diener/* eò, quod ejusmodi Ministri ex Nobilium gremio tantum desumebantur. v. *Lehmann. Chron. Spirens. l. 2. c. 13. & 14.* Apud Romanos Honora-

noratorum nomine designabantur v. *Liv. l. 3. dec. 3.*
 & *Wolf. Laz. l. 3. Reip. Rom. c. 1.* Sæpius etiam dice-
 bantur *Feudatarij, Fideles, Valvasores, Beneficiarij*, pro-
 pterea, quod ob bene merita & officia fortiter ge-
 sta, feuda ab Imperatoribus obtinuerint v. *Vultej.*
de feud. l. 1. c. 4. Porro appellati sunt & adhuc ap-
 pellantur Equites, *Ritter* ante ducentos enim &
 quod excedit annos soli fere in Germania equi-
 tando militaverunt. *Besold. l. 1. pol. c. 11. n. 45.* Inde
 etiamnum ordo ipsorum die *Ritterschafft* dicitur.
 Hodie etiam vocantur *Servi, Famuli* &c. *Knechte*
 des Heiligen Reichs &c. *Ordin. Regim. de anno 1500.*
tit. von der Ritter- und Knecht-Steuer. 39. ibi: auch
sollen die Ritter und Knecht des Heiligen Reichs &c.
 inde in supplicibus libellis aliisque ad Imperato-
 rem literis sese subscribunt: *Euer Kayserl. Mayes-
 stät allerunterthänigste Edle Knecht.* Dum au-
 tem hoc Servorum, Famulorumq; nomine utun-
 tur, libertati suæ nihil inferunt detrimenti, cum
 Imperatori & Imperio servientes summa liberta-
 te gaudere doceant juris Publici principia. v. *Knip-
 schild. de Nobil.* qui plures quibus alias Nobiles Im-
 perii insigniuntur, titulos refert, *lib. 1. c. 1. n. 16.* &
*seqq. adde alleg. ibidem Dn Caspar à Lerch von Dürm-
 stein tr. de Ord. Equest. Lib. p. 1. n. 2. f. 4. §. Über die-
 sen in fin. & seq. Cyriac. Spangenberg im Adels-
 Spiegel l. 5. c. 2. 3. 4 & 5.*

Cæterum à voce NOBILIS descendit Nobili-
 tas, seu generis claritas; item nobiliter, seu lauda-
 biliter & nobilitare, seu nobilem facere. Non mi-
 nus autem foccunda hic est Germanica lingua.

A voce

A voce enim *Ritter*/ quæ, ut supra notavimus, Nobilem designat, derivatur die *Ritterschafft*/ Ordo Equestris, *Ritterdienst*/ Servitia Feudalia, *Ritter-Güter*/ *Ritter-Lehen-Güter*/ feuda Nobilium, *Ritter-Sitz*/ Castrum Nobile seu Militare &c.

CAP. III.

DE

DEFINITIONE ac DIVISIONE.

EX hætenus tradita terminorum explicatione facile patebit, quid per *Conventus Deputatorum Nobilium* intelligi velimus. Liceat eos definitionis loco ita describere, quod sint *Congregationes uniuscujusq; Quaternionis Directorum, Deputatorum ac Consiliariorum ad pertractanda ex communi omnium membrorum placito ac consensu Quaternionis illius negotia.*

Partimur eos primo ratione temporis in *ordinarios & extraordinarios*. Generis enim in suas species vix dabitur hic divisio. *Ordinarij* sunt, qui certo definitoq; tempore recurrunt, & huc pertinent die ordinari *Monatliche Sessions-Täg v. die Unter-Elßässische Ritter-V. §. 23. verb. Sollen und wollen wir die verordnete Râth und Aufschuß je von Monat zu Monat 2c. zusammen kommen 2c.* *Extraordinarios* vocamus, qui pro rerum diversitate extra ordinem indicuntur in magni momenti negotiis quæq; moram non patiuntur. Ita modo allegata Nobilitatis Inferioris *Alsatia* Statuta eodem §. 23.
hæc

hæc habent: Wann zwischen solchen beeder/ seit *specificirten* Aufschuß/ und gemeinen Glieder/ oder Ritter/ Tågen etwas sonderbares/ und welches keinen Verzug leidet/ vorfallen würde/ daß alsdann entweder die Aufschuß allein oder mit Zuziehung etlicher Glieder/ oder auch die sämtliche Mit/ Glieder zu beschreiben unverwehrt. adde die Schwåbische Ritter/ O. §. 33. *ibi*: ob sich aber in einem *ic.* Dividuntur secundo ratione objecti seu rerum tractandarum; quæ prout vel ipsum Ordinis Equestris Statum, jura ac Regalia concernunt, vel ad dirimendas partium controversias, aut aliam jurisdictionis sive voluntariæ sive contentiosæ speciem spectant, ipsos etiam Conventus eatenus diversos inter se reddunt. Tertio in Conventus omnium Deputatorum & quorundam tantum; non enim collegialiter semper negotia expediunt Deputati, sed è numero suo nunquam seligunt, quibus ea expedienda committunt *v. Elsaf. Ritter/ O. §. 17. verb. Daß im Nahmen der Ritterschafft ic.* Addere possem aliam adhuc ratione subjecti divisionem, qua nimirum à propriè sic dictis Deputatis distinguuntur illi, qui vicaria tantum potestate gaudent, vulgo Vice- Aufschuß dicti, verum cum ista diversitas ipsum officium & administrandi rationem raro afficiat, illam non moror.

C

CAP.

CAP. IV.
DE
CAUSA EFFICIENTE.

C*Ausa* horum Conventuum *efficiens*, ut *Meta-*
physicorum terminos hic accommodemus,
est vel *principalis*, vel *minus principalis*. Illa vel
remota vel *propinqua*. *Remotam* constituimus in
jure *Immedietatis & Superioritate Nobilium Ter-*
ritoriali. *Præjudicialis* autem hæc est, & in utram-
que partem acerrime disputata quæstio, *an Nobi-*
libus Imperij Immediatis competat Territorialis Superio-
ritas? Et ego quidem universalem Imperii praxin
fecutus affirmativam tueor. Qui vero in negan-
tium partes abeunt inter alia nexum feudalem im-
pedire dicunt, quominus *jurisdictio territorialis*
liberæ Imperij Nobilitati competat; Verum uti
per illum Domini feudalis *jurisdictioni ejusmodi*
Vasalli nequaquam subjiciuntur, omnino enim
diversa sunt, *jurisdictio ordinaria & feudalis*
Limneus tom 2. c. 3. §. 5. & 6. è contrario potius li-
bertas ista, qua Imperio immediate subjecti sunt
Nobiles illo feudali nexu non obstante salva per
maneat, argumentum hoc nos plane non movet.
Fortius autem videtur illud ratiocinium, quo *ju-*
risdictio hæc ideo Nobilibus disputatur, quod non
sint Status; ast seposito partium studio videbi-
mus, falso hoc itidem inniti fundamento. Primo
enim *Superioritas Territorialis non est affectio*
propria & essentielle consecutivum Status, uti vult
Strauch.

*Strauch. dissert. exot. x. thes. 22. & cum eo Mylerus in not. ad Ruml. in. sup. A. B. p. 1. diff. 1. thes. 13. l. B. cum licet ad esse Status Imperii requiratur, per se tamen non sufficiat, inde valet quidem argumentum negativè conceptum, quod is, qui non gaudet Sup. Territor. non sit Status, diversa vero & mala est affirmative argumentandi ratio. v. Ertel. theat. Sup. territ. p. 31. Nimis porro generalis est illa assertio, qua Nobiles Statuum numero eximuntur, certum enim & indubitati juris est, eos non tantum jus suffragii reapse olim exercuisse, sed & adhuc hodie denominatione legali Status esse, & recte certo modo dici. vid. desuper *dissert. nostra de Stat Nob. Immed. S. R. I. habita sub Praesidio Celeberrimi Domini D. Feltzj Præceptoris hæcenus mei nunquam non colendi*. Pergunt vero Adversarii afferendo, & inter eos *Hugo de Stat. reg Germ. c. 1. §. 5. 6.* quod quicumque non habent territoria conclusa, illis non competat Superioritas Territorialis. Verum enimvero cum ex amplitudine & magnitudine territorii jurisdictio nullo modo dimetienda veniat, magna enim & parva sub eadem juris determinatione includuntur per *l. & in major. 2. Cod. de appell. Schrader. de feud part. 10. sect. 5. n. 68* neganda videtur majoris propositionis connexio. Ut taceam, inter ipsas etiam Nobilium familias reperiri, quæ amplitudine territorii nonnullis Comitibus & Baronibus æquiparari, imo antehaberi possunt. *conf. Maurit. ad Capitul. Leop. art. 3. verb.**

Darzu denen Ständen samt erstgedachten Reichs/Ritterschafft 2c. *add. Knipschild. de nob.*

l. 3. c. 1. *Hippol. à Treispach* Unfürgreiffliches
 Bedencken über etliche Fragen der Reichs/
 Ritterschafft in Schwaben/ Francken und
 am Rheinstrohm Stand und *Session* betreffend
quest. 2. §. 140. & seqq. Ertel. observ. illustr. Jurid.
Equestr. observ. 7. & magno numero ab his allegati
 sententiæ nostræ fautores. Vindicata hoc modo
 præfatis Imperii Nobilibus Superior. Territoriali,
 haud absonum forsitan erit, præsentis materiæ
 fundamentum in ea collocasse; Cum enim vi ju-
 ris hujus omnimoda & universalis ipsis competat
 jurisdictio *Knichen de jur. territ. c. 1. n. 135.* potesta-
 tem quoque iisdem competere extra controver-
 siam erit, quovis modo jurisdictionem illam exer-
 cendi. Optime autem per istiusmodi conven-
 tuum institutionem tam huic rei, quam jurium di-
 gnitatisque Nobilium conservacioni prospectum
 esse nemo facile inficias ibit. Ac proinde istos
 non minus, quam Correspondentiales Conventus
 tanquam summe utiles & necessarios, ac perpetua
 lege continuandos commendat *Nobiliss. Caspar. à*
Lerch *de Ord. Equestr. p. 2 n. 150. fol. 220.*

Causa efficiens propinqua est mutuus Nobilium
 consensus, & quæ inscuta est Imperatoris confir-
 matio. Translata enim communi totius Corpo-
 ris pacto in Directoriorum Deputatos jurisdictio-
 ne, ut ad exhibendam rebus concludendis termi-
 nationem certo statoque tempore convenirent,
 eorumque in primis curam haberent, quæ toti Or-
 dini necessaria vel utilia sunt, insimul cavebatur.
 Dubitant equidem nonnulli, an Deputatorum
 Colle-

Collegiis in reliqua membra ordinaria jurisdictio competat? Verum inspiciant illi penitius ipsius Commissionis tenorem, adjungant Imperatoriam Confirmationem, & facile, nisi fallor, fatebuntur dictos Nobilium Deputatos non Judicum Compromissariorum, non delegatorum sed Ordinariorum munere defungi. Id quod de Nobilitatis Alsaticæ Directorio eo certius asseritur, quò majori Clementia *Rex Christianissimus* post extensa magis per varia diplomata, quam solummodo confirmata Ordinis illius privilegia & hanc ejus jurisditionem ad instar illarum, quæ in aliis Alsatiæ Galliæque tribunalibus exercentur, stabilivit. Verba literarum patentium, cum non in omnium manibus versentur, subjungere hic liceat: Sunt autem hæc: *Nous voulons & entendons, que les Gentilshommes & Officiers, qui composent le dit Conseil soient obligés, de s'y rendre tous les jendys de chaque mois pour y entendre les plaintes & les difficultez, que les Gentilshommes & les habitans des Villages, qui dependent de la dite Noblesse de la Basse Alsace, pourront avoir les uns avec les autres, terminer & juger leurs differences sous toute affaire soit de police, ou autre en premiere instance tant pour le Civil, que pour le Criminel, sauf l'appel en dernier ressort en nôtre dit Conseil d'Alsace seant a Brisac, & ce suivant la rigueur des ordonnances & en la même maniere, qui se pratique dans les autres villes & lieux de nôtre dit pais d'Alsace nouvellement reüni a cette Couronne &c.* Adde *Diploma Regium de anno 1681. inferius relatum.*

Cæterum qui pro delegata jurisdictione pugnant, immedietatem obtinere putant, quò minus ea dici possit ordinaria. Quodsi enim Director cum Collegis adjunctis iudex esset, intermedius, quem singuli illius coetus Nobiles superiorem ordinarium agnoscerent, quomodo hinc Immedietatis jus salvum existeret possit quærunt? Verum uti Austregæ Conventionales à Cæsare confirmati Immedietati nequaquam officiant, ita nec hæc Directorum & Deputatorum jurisdictionis. Et hæcenus de Causa Efficiente Principali.

Minus principalis seu impulsiva tam in perverfis hominum moribus, quam in negotiorum in vita hac Civili obvenientium frequentia & mole quærenda est. Cum enim post deplorandum primævi hominis lapsum eò iniquitatis ac proterviæ processerit humana natura, ut quivis fere cum alterius subversione privatum rerum suarum commodum quærat, saluberrimo ad præcavendam omnem confusionem consilio factum est, ut Nobiles post institutam inter sese, cum singuli sufficere sibi non viderentur, Reipublicæ instar societatem, peritissimos è gremio suo deligerent, qui reliqua membra ab aliorum injuriis tuerentur, & causas, quæ in pleno eorum Senatu vel ob membrorum multitudinem vel ob magnos sumtus vel alia de causa difficilem sortiri videntur exitum, quæve specialem peritorum requirunt cognitionem, in dictis potissimum Conventibus pro suo pondere examinarent & componerent.

CAP.

C A P. V.
D E F I N E.

Q Uemadmodum *causam efficientem aliam* diximus *remotam, aliam propinquam.* ita eandem *causa finali* hic accommodamus distinctionem. *Finis* autem *remotus vel ultimus est vel intermedius.* *Ultimus* consistit in Divini Numinis gloria; *Intermedius* in bono publico, societatis scilicet Civitis tranquillitate, & universi Equestris Ordinis incolumitate ac utilitate. Sic eisdem fere fines sibi proponunt Comitia Imperii Universalia *vid. Reformat. guter Policey zu Augspurg anno 1530. §. Nachdem wir ic. ibi:* Alles das vorzunehmen/ zu rathschlagen/ zu handeln/ und zu schließen/ daß zuvorderst Gott dem Allmächtigen zu Ehr und Lob/ gemeiner Christenheit und Teutscher Nation zur Wohlfarth/ Fried und Einigkeit/ auch dem Heil. Römischen Reich zu Nutzen/ Auffnehmen und Gedeyen gereichen möchte. Intenditur autem, uti modo diximus, primò gloria Dei, ad quam uti omnia facta, ita & hi nostri Conventus flectunt. Summa igitur ope omnique studio eò allaborare debent illi, qui talibus intersunt Diæti, quo non vanam illam & perituram, quam recte agendo apud homines consequuntur, gloriam captent, sed ut omnes actiones, omnia Decreta ac Statuta in solius Divini Numinis honorem dirigant. Intenditur quoque secundo publica salus, & Ordinis Equestris incolumitas; *omnia enim qua in nobis geruntur, non ad*

ad nostram utilitatem ac commodum sed ad patriæ salutem conferre debemus, & uti contemnendus est, qui in navigando se mavult esse incolumem, quam navim, ita vituperandus, qui suæ plus, quam communi saluti consulit. Cicer. ad Herenn. l. 4.

Finis propinquus non tantum respicit jurisdictionalia, justitiæ scilicet administrationem, sed & politicae disciplinæ strenuam observationem, ac reddituum regaliumque jurium fidelem tuitionem; quæ cum in sequentibus pluribus simus examinaturi, hic non erimus prolixiores.

CAP. VI.

DE FORMA.

Forma istorum Conventuum vel *essentialis* est, vel *accidentalis*. Illa in jurisdictione, & administrandi potestate, hæc in ipso administrandi modo spectatur.

Jurisdictionis autem vocabulo non indigitamus summam illam, quæ alias Majestas dicitur, vel subordinatam potestatem, quæ in Imperio Romano-Germanico Superioritas Territorialis appellatur, in quo significato de jurisdictione scripserunt *T. Paurmeister & M. Stephan.* nec *Nomotheticam* seu *Legislatoriam jurisdictionem*, verum *judicialiam*, qua *causæ emergentes secundum jus prescriptum determinantur.* Dividitur ea vulgo in *Civilem*, quæ in *Civilibus*, & *Criminalem*, quæ in *Criminalibus* causis exercetur. Illa uti supra jam
in

inuimus ex communi totius Corporis placito, & infecuta Imperatoris Confirmatione Nobilium Directoriis competit, & vel in prima vel in secunda instantia fundatur. Prius contingit, si reus cujus forum actor regulariter sequitur, ipse Nobilitatis membrum sit, aut si ex causa denegatae justitiae ac judicis suspecti agatur. Posterius accidit, cum subditorum causae in inferioribus Praefectorum v. g. judiciis decisa per modum appellationis aut viam provocationis eo devolvuntur. Non desunt equidem, qui secundam hanc instantiam Nobilitatis Alsaticae Directorio non sine animi motu denegare conantur, verum cum Primo Nobiles Alsaciae Immediati vi Superioritatis Territorialis jurisdictionem suam aequae olim exercuerint, ut alii Imperii Status: Secundo ipsa Corporis illius Statuta de anno 1651. ab Imperatore *Ferdinando III.* confirmata istam in secunda instantia judicandi facultatem Directorio disertis verbis tribuant, Tertio REX CHRISTIANISSIMUS Nobilium hoc iudicium *per literas patentes seu Diploma de anno 1681.* reliquis, quae in Alsacia & Gallia conspiciuntur, tribunalibus ratione jurium ac praerogativarum in omnibus adaequaverit, nihil tales agunt, quam quod Juris Publici privilegiorumque Nobilitatis ignorantiam profiteantur. Et redderetur sane jurisdictio Directorii quoad subditos saltem inutilis ac illusoria, si à Praefectorum sententiis ad illud provocandi denegata esset facultas; id quod intentioni REGIS NOSTRI CLEMENTISSIMI prorsus adversari luculenter satis demonstrant missae nuperrimè ad

D *Illustris-*

Illustrissimum Dominum de la Houffaye Regium in Alsatia Intendentem ob insignem qua Ordinem Equestrem prosequitur benevolentiam nunquam satis depraedicandam literæ. Tenor verborum huc facientium hic est: *Que l'intention de Sa Majesté à toujours été que les appels des sentences des Baillys de Justices Seigneuriales de la basse Alsace fussent relevés au Directoire de la Noblesse & en suite au Conseil Supérieur d'Alsace pour ce qui excedera 250. ℔. & sans prejudice de l'execution jusques à 500. ℔. conformément a ce qui est porté par les lettres patentes qu'ils en ont obtenües.*

Hæc de *jurisdictione Civili* De *Criminali* quaeritur an illa sub generali Nobilium Deputatorum mandato comprehendatur? Ubi distinguendum est, an *subditi Nobilium* criminaliter delinquant, an vero ipsi *Nobiles*. Si prius, quemlibet in Imperio Dominum subditorum suorum crimina vi Superioritatis Territorialis punire quotidiana Imperii praxis comprobatur *add. privileg. Rudolph. II. de anno 1609. wegen der Blutbann. ap. Kreidenmann. append. N. 8. Nolden de Nobil. cap. 17. n. 124. & seq. Besold part. 2. conf. 49. n. 121.* Alsatiæ vero Nobiles jurisdictionem in subditos suos tam Civilem quam Criminales per Præfectos hoc nomine constitutos hodie exercent. Si posterius Imperatorem judicem agnoscimus. Equidem non inscii sumus, plures, qui alias Nobilitati S. R. I. Immediatæ suum consecrarunt calamus, & inter eos Celeberrimum *Knipschild* in opere posthumo *de Nobilitate*, contrariam non sine momentosis rationibus fovere sententiam. Verum cum notorium, nec hæctenus à quoquam
in

in dubium vocatum sit, quod Immediata Nobilitas *solum Imperatorem & Cameram* ob jurisdictionis concurrentiam *pro superiore recognoscat*, in *Criminalibus* autem ratio immediatæ subjectionis quam maxime stringat, Cæsarisque jurisdictionem fundet, nondum à nobis impetrare potuimus, ut illorum opinioni subscriberemus, inprimis quoniam leges privatæ ac Civiles Cynosuram hic non suggerunt, sed ad statum politicum modernum, antiquam observantiam, præjudicia, aliaque Statuum Immediatorumq; Nobilium jura primo omnium respiciendum est. *Ertel. observ. Jurid. Equestr. obs 39. Lendersheim de jur. & privil. Nobil. th. 14. Gründliche und ausführliche deduction des Reichs-Adels p. 33 & seqq.* Quicquid autem juris Imperator sibi hic vindicat in terris Imperii, idem quoad Alsaticam Nobilitatem competit REGI NOSTRO CLEMENTISSIMO. Et hæc quidem de prima parte, jurisdictione scil. dicta sufficiant.

Altera *potestas* nimirum *administrativa* conspicitur partim in *Politicis* partim in *Oeconomicis*. Quemadmodum enim diligens tum disciplinæ politicæ, tum jurium privilegiorumque, ut ea salva conserventur nec à potentioribus turbentur Deputatis Nobiliū cura incumbit, ita de ærario publico non minus solliciti sint ad eò melius conservandum ordinis Equestris statum, ad exsolvenda Consiliariis, Officialibus ac Ministris salaria, ad sustinenda belli onera, ad construenda ac reficienda opera publica, item pro sumtibus processuum, Legationum, Conventuum, pro expeditione privilegio-

rum aut de novo impetratorum, aut confirmatorum, aut declaratorum &c. prouti latè demonstrat *Kreidenmann von des Adels Staat und Stand quest. 4. per tot. add. Dn. ab Andler. Jurispr. Noviss. l. 1. z. 5. p. 10. n. 35. Textor Jur. Publ. Stat. 15. n. 103. & seqq.*

*Forma Conventuum Deputatorum accidentalis in ipso administrandi modo seu ordine processus posita est. Processus autem alius ordinarius est, alius extraordinarius seu summarius. Ordinarius, in quo controversiæ secundum plenum & solemnem procedendi modum atque ordinem ventilantur. Summarius, ubi de simplici & plano omiſſis solennitatibus proceditur. Hic utpote veritati erudendæ æque sufficiens ac ordinarius, illo longe tutior ac utilior à plerisque habetur, cum juxta communem loquendi formulam quod fieri potest per pauca non debeat fieri per plura. *Brunnem. de Proc. Civ. n. 19. & seqq.* Et hoc ipso, uti videtur, intuitu Statuta Nobilium volunt, ut Deputati in quantum fieri potest, causas in Conventibus summarie expediant. **Elsas. Ritter-Ordn. art. 12. ibi: So sollen Aufschuß und Râth die ganze Sach/so viel sichs thun lassen wil/ in kurze Verhör ziehen &c.** Quamvis autem summarius iste processus pleraſque, uti dictum, judiciorum ceremonias refecet, non omnem tamen ordinem tollit; hinc quæ ad illum requiruntur, paucis trademus. Considerabuntur ergò primùm *personæ* judicium constituentes, postea ipsa causarum ac negotiorum momenta. *Personæ* vel *principales* sunt,
vel*

vel minus principales. Principales Actor, Reus & Judex. Actor est, qui in causis Civilibus actionem intendit, & ab altero aliquid petit, *l. 62. ff. de judic.* in Criminalibus accusator dictus. Hic cum regulariter invitus agere non cogatur per *l. unic. C. ut nemo invit.* non statim ad litem proruat, certus licet, quod nulla ratione personæ ad agendum ipsi obstet inhabilitas; sed de jure suo accuratius, antequam judicii fores arripiat, cogitet. Actor enim temere litigans gravius punitur, quam reus, in cujus potestate non est, quando conveniatur *l. 5. §. 6. de dol. mal. except.* Partes ejus præcipuæ sunt, ut consilio secum instituto, an quoad personam in judicio conveniendam fundata sit Deputatorum Nobilium jurisdictio, judicem hunc nostrum adeat, citationem impetret, intentionem suam proponat, eamque primus probet, ad exceptiones rei replicet &c. Reus est, contra quem actio instituitur, sive à quo aliquid in judicio petitur *l. 3. ff. de jurej. l. 5. & 6. C. de edend.* Hic si justis exceptionibus judicium declinare non potest, animo ad acceptandam litem parato, vel in propria persona compareat, vel ubi causa talis, quæ personæ præsentiam non requirit, procuratorem legitimo ac sufficienti ad respondendum mandato instruat *v. Stryck. dissert. de conscient. part. in judic. c. 2. §. 91. & seqq.* Quotuplici autem modo forum hic sortiatur Reus, supra jam antevertimus. Judex denique dicitur, coram quo causa agitur. Cujus officium in duobus potissimum consistit, in cognoscenda scil. & examinanda causa, & in con-

D 3 cipien-

cupienda sententia. Est autem hic loci *Judex*, quem in thesibus nostris formandum suscepimus, *cujusvis* nimirum *classis Director cum Adjunctis Deputatis*.

Hæc de *personis principalibus* *Minus principales* vel *judici accedunt* vel *litigantibus*. Illi accedunt *Assessores, Secretarij, Scribe, & Apparitores*. Magna autem inter *Assessores*, qui olim fuerunt, & qui hodie sunt intercedit differentia. Jure enim *Civili* ad consultandum solum illos admissos fuisse docet *pecul. tit. ff. de offic. Assess.* hodie vero ipso etiam judicandi ac decidendi munere eos defungi, *Camerae Imperialis Assessorum* exemplum comprobatur. Nos si priorem sequimur usurpationem, haud incongrue forsitan illis comparabimus hodiernos *Nobilium Syndicos* ac *Consiliarios*, quippe qui non decisivi, sed consultativi tantum voti jure gaudent. *Schwäb. Deputations Rathes-Verordn. de anno. 1651.*

Secretarij, olim *Tabelliones*, *Cancellarii* dicti *l. univ. C. de Decur. l. 3. & 5. C. de Assess. & Domest. & Cancel.* sunt personæ, quæ scribendis ac expediendis iis, quæ in *judicio* proponuntur, præpositæ sunt. Quod cum magni momenti res sit, ad hoc officium adsumendi non sunt, nisi quorum, explorata sit diligentia, fides & facultas expediendi ea, quæ ad illud requiruntur *Vultej de judic. l. i. c. 7. §. 38.* Differunt ab his *Scribe* in specie sic dicti, qui in scribendo operam præstant quodammodo vicariam, Germanico idiomate *Canzlisten/ Copisten* nuncupati. *Apparitores* denique præsto sunt
Judi-

Judicibus, ad exequenda judiciorum negotia, de quorum usu, electione, & electionis modo v. *Stryck. differ. de Sal. publ. c. 5. n. 52. seqq. Vult. d. l. §. 40.*

Litigantibus accedunt *Advocati, Procuratores* ac *Testes*, de quorum officio videtis prolixos DD. commentarios, quos ad *titulos ff. de Postulando de Procuratoribus ac Defensoribus*, deque *Testibus* scripsere. Nos hæc non moramur, ad ipsas potius causas, earumque momenta transeuntes. Quemadmodum autem transactio seu amicabile compositio antequam lis in iudicium deducatur semper tentanda est, imprudenter enim fortunæ arbitrio committitur, quod per concordiam componi potest *Andr. Knichen de jur. Sax. c. 63. fol. 260.* ita quin eadem frustra quæsitâ, iudicem licite adeant litigaturi, nullatenus dubitandum, modo à privatis, quæ animum ejus corrumpunt, aditionibus abstineant. Actoris itaque primo omnium tunc erit, coram iudice pro tribunali sedente actionem proponere, utque Processus per *citationem* sibi aperiat, abs eodem petere. Iudex enim nisi imploratus officium suum non impertitur per *l. 68. ff. de judic. l. 4. §. 8. ff. de damn. infect.* Citatio vero rite ac legitime impetrata justo tempore debitoque loco citato est *insinuanda*, quo secum deliberet, utrum cedere, an jure experiri velit? Quod si posterius elegerit citatus, de personæ suæ *legittimatione* ante omnia cogitare tenetur utraque pars; quam insequitur in causis majoribus, quæque stante, uti ajunt, pede expediri nequeunt, *libelli oblatio*

oblatio, in aliis vero minoris momenti negotiis *qualiscunque* vel nudis verbis facta *actoris petitio*, eine mündliche *Klag* cum brevitate litium quam maxime inferviat, si voce, non in scriptis causa peragatur. v. *Berichtl. Proceß der 5. Theilen in Schwaben de anno 1560. Art. 4.* Ut autem omnia suo ordine fiant, ac ne processus præcipitur, *dilatationes* tam ad comparendum, quam ad probandum & excipiendum conceduntur, ipsa rerum necessitate exigente *l. 1. C. de dilat.* Quoties vero illæ dandæ sint, & quinam iis præfixi debeant esse termini, ex omni hodierna praxi arbitrarium est, ita ut tempora pro locorum à iudicii loco distantia, personarum qualitate causarumque gravitate ex arbitrio prudentis iudicis moderanda sint. *Clement. sepe de verb. signific.* Cæterum *cautiones iudiciales* cum lites per eas admodum protelentur, non videntur esse necessariae, uti nec *juramentum calumniae*, nisi petatur; v. *Schwäb. Reichs-Ritterschafft-Deputations-Raths-Berordnung art. 10.* Neque magis requiritur *solemnis litis contestatio*, sed sufficit brevis aliqua vel verbis vel literis facta iudicii suscepti professio v. *Kreidenm. von des Adels Staat und Stand qu. 27. n. 24.* quam ipsa mox causæ *disceptatio* ac *cognitio* excipit. Ubi monendum, laudabiliter ac saluberrime in Statutis Nobilium prospectum esse, ut partes, antequam eò deveniant, vel ad controversias amicè componendas, vel ad seligendos, qui observato iudiciorum ordine eas cognoscerent, liberoque suo arbitrio definirent, iudices compromissarios, à Depu-
tato-

tatorum collegio admonerentur. Uti enim prius concordiam firmat, dubiumque litis eventum præcavet, ita posterius ad abbreviandos processus & ad parcendum sumtibus quam maxime conducit. Quod si vero utraque hæc via à partibus negligatur, quin tunc plenæ notioni causæque discussioni sese accingant Nobilium Deputati, nihil obstat. *v. Elsaß. Z. O. art. 12. Kreidenm. l. c. quest. 25. 26.* Necessaria autem ante omnia est probatio, quippe in qua omne controversiæ momentum consistit. Nec minus circumspectum hic decet esse judicem, quam ipsos litigantes; Cum enim iudex ex fide eorum, quæ legitime probantur ac deducuntur, judicare teneatur, *textus est in l. illicitas §. veritas ff. de offic. præsid.* probe in actionis requisita, an probata sint, necne? inquirat; inde non decurrat statim ad præsumptiones, ad conjecturas, ad indicia & ejusmodi alia, sed evidentia tantum, & certa, in quantum fieri potest, admittat argumenta. Partium vicissim in omni judicio præcipuus hic debet esse labor, ut causam probationibus recte instruant. Sunt autem probationum modi potissimum quinque: *Propria Rei conventi confessio, documenta literaria, dicta testium, juramentum & ocularis inspectio.* De singulis in specie pauca. Et quod propriam quidem rei conventi confessionem attinet, non tantum probationis, sed etiam sententiæ rei que judicatæ ea vim habet; Confessus enim in jure pro judicato habetur, & quodammodo sua sententia damnatur. *l. 1. l. 6. pr §. 2 & ff. de Confess. Württemberg. Land-N. p. 1. t. 33. ibi:*

E

Daß

Daß so der Beklagte vor sitzendem Gericht eine
 Schuld oder anders/ dadurch er den Kläger obli-
 giert und verbunden/ beandtlich; solle dafür ge-
 halten werden/ als ob gegen ihn rechtlich erkant
 wäre. Species confessionis & quæ circa singu-
 las observanda, passim tradunt DD. *Instrumenta*,
 quæ itidem ad probandum producuntur, ut ple-
 nam fidem faciant, necesse est, ut ipsa avtographa
 & originalia edantur. Transcripta enim, utpote
 falsitati quam maxime obnoxia nihil probant.
Berlich. p. 1. dec. 100. Judicis proinde Nostri offi-
 cium hîc erit, singula documenta accuratæ subj-
 cere disquisitioni, seduloque cavere, ne partes pro
 obtinenda victoria falsa componant, genuina in
 fraudem alterius lædant, aliudve faciant, quò rei
 veritas non appareat; quæ delicta prohibentur in
l. 1. 2. 16. 33. ff. ad L. Cornel. de fals. Tertius pro-
 bandi modus consistit in *testium depositione*.
 Testes autem fidem non faciunt, nisi sint evo-
 cati & examinati. Sponte enim offerentis seu
 suspecti testimonium non relevat. *l. 25. ff. de
 procur.* De modo producendi in hoc Depu-
 tatorum judicio observari solito v. *Kreidenm. l. c.*
§. 23. seqq. Illud interea sedulo animadvertere
 debet iudex, an testis in deponendo constans sit,
 ob der Zeug wankelmüthig oder unbeständig erfun-
 den/ wie Er den Zeugen in äußerlichen Geberden
 vermerckēt/ uti loquitur *Constit. Carol. art. 71.* id quod
 ex iterata depositionis prælectione ut plurimum
 patebit. Cæterum producens testi sine dubio te-
 netur de expensis, ad interesse lucri cessantis & da-
 mni

mni emergentis per *l. 11. C. de test.* pro ipso vero testimonio dicendo citra factæ corruptionis suspicionem vix aliquid solvit, v. *Stryck. de conscient. part. in judic. c. 4. n. 37. & seqq.* Vicem probationis quartò sustinet *Juramentum* cum enim haud raro contingat, ut negotium ita sit qualificatum, ut probationes aliæ haud ita facile suppetant, tunc ergo partes, in quarum potestate positum est, quo probandi modo uti velint, difficultatem istam istiusmodi juramento evitare valebunt. Quæritur autem, *an deficientibus omnibus aliis probationibus juramento tali locus sit?* Et Resp. affirmando; Habet enim se tale juramentum ad instar aliarum probationum, quæ vel per testes vel per instrumenta fiunt; istæ vero nullam præviam probationem requirunt *l. 34. §. 6. & 35. pr. ff. de jurej. Carpz. P. J. C. 12. d. 2. & in Proc. tit. 11. art. 1. n. 78.* Quod quidem de juramento judiciali dictum sit, in necessario enim quod judex defert, ut semiplene probatum sit omnino requiritur. *Carpzov. p. 1. c. 13. def. 3.* Hinc in ejus delatione non adeò facilis sit judex, cum animarum salus maxime hic periclitetur, cautū tamen satis se præstabit ex præscripto **des Würtemberg. Land-N. p. 1. tit 52.** modum sibi præfigens. Quantum denique probandi genus est *ocularis inspectio, der Augenschein;* de qua textus sunt in *l. minor. 32. ff. de minor. l. si irruptione 8. in f. ff. sin. reg.* Hæc si à partibus petatur, judicis officium est, pro qualitate negotii in quavis arte peritos deputare, qui rem, de qua quæstio est, suis subjiciant oculis, deque eâ, causâ cognitâ, relationem actis insinuan-

dam exhibeant. *Kreidenm. quæst. alleg. §. 36.* Pro-
 bationibus hoc modo legitime peractis, & defici-
 entibus contra eas exceptionibus, controversiæ
 finem imponit pronuntiatio judicis, Directorii
 scil. præcedente tamen *juris ad factum applicatio-
 ne.* Jus enim in facto positum est, & ex facto ori-
 tur. *Unde autem illud desumendum sit*, quæri-
 tur? Nos in eo indagando præter jus commune
 ad statuta provincialia, ad ordinationes Nobi-
 lium, ad eorum privilegia, ad consuetudinem po-
 tissimum respiciendum esse censemus. Maximo-
 pere hinc caveant Deputati nostri, ne ex arbitrio
 libero proprioque suo cerebro judicent, sed legi-
 bus ac moribus tantum insistant; *ubi enim legibus
 Imperium committitur, ibi Deo cum legibus id committi,
 ubi vero homini ibi affectum, tanquam belluam, que ira,
 odio, cupiditate agitari possit, cum homine conjungi, &
 utriq; pariter imperium transcribi, dicit Aristot. l. 3 Pol.
 c. 12.* Concipiatur ergo, prouti jus ac leges ju-
 bent, sententia, ita ut petitionis libello conformis &
 certa sit per *l. ut fundus ff. comm. divid. l. f. C. de fideic.
 libert.* Incerta enim causam non decedit, sed est
 novæ litis causa per *§. 32. Inst. de action.* Conce-
 pta legitimo modo præsentibus scil. iis, quos causa
 contingit *publicetur*, & judicis nomine ab Actu-
 ario pronuncietur. Ita enim *Lex. XII. TABB. Præsentibus
 ambobus litem addicito. l. 47. pr. ff. de re jud. l. 14. §. 1.
 ff. de appell.* Quodsi nullum post factam publica-
 tionem *juris* remedium adsit ad impugnandam
 sententiam & suspendendam ejus executionem,
 Victor judicem hunc Nostrum adire, utque rem
 execu-

executioni mandet, rogare solet. Sunt equidem qui executionem Nobilium Directoriis competere negant, verum quam infirmo nitantur fundamento, & ipsa quotidiana praxis evidentia & Ordinationum ab Imperatoribus confirmatarum tenor demonstrat v. *Gerichtl. Proceß der 5. Theilen in Schwaben tit. von Angriff/ execution und Erfolgung der Urtheil add. Steigerwalds Ritter-Ge-richts-Ordn. de anno 1673. t. 9.*

Illud quidem inter duas hasce ordinationes ratione modi exequendi intercedit discrimen, quod *In Suevia* Directorium ipsum exequatur, ita ut dato primum executoriali mandato sub pœna unius, postea duarum, tertio trium marcarum argenti immissio denique fiat ope & auxilio omnium membrorum. *In Franconia* vero decernitur mandatum executorialiale sub pœna 1000. florenorum, quæ summa termino absque partitione elapso absque ulteriori quidem declaratione commissa est, actor tamen ad impetrandum de exequendo mandatum ad Summa Imperii Judicia remittitur. *Burgermeist. Stat. Equestr. p. 563.* Cæterum quid apud *Alsatica Nobilitatis Directorium* hoc in puncto *olim* obtinuerit, docet *die Elsäß. R. D. art. 12.* ubi libero ejusdem relictum est arbitrio, an propria autoritate executionem decernere, an vero ubi consultum magis ipsi videretur, Cæsareorum Dicasteriorum auxilium desuper implorare vellet. *Hodie* suas per Apparitores exequitur sententias. Haud raro autem contingit, ut pars aliqua per sententiam à Directorio latam

gravatam se esse putet, quæritur ergo, *an ad appellationem ipsi tunc debeat patere aditus?* Nos licet prote-
landarum litium suasores nequaquam existere ve-
limus, attamen appellationis remediū defensivum
etiam hoc in casu omnino approbamus. Deterio-
ris enim longè conditionis aliàs forent Immediati
Imperii Nobiles, quam alii Status, imò quam ipsi
eorum subditi quippe quibus justa movente causa
à primi judicis sententia appellandi vix unquam
denegatur facultas, vi cujus jura sua diversis vici-
bus argere, per incuriam omiſſa deducere, per in-
juriam rejecta recuperare possunt. Nec habent
Directoria, de quo conquerantur, cum non alia
lege judicandi potestatem acceperint, quam ut in
casum gravaminis cognoscendi facultas Superiori
reservata esset.

Quis vero sit ille Superior, ad quem appellandum,
porro disquiritur? Et in *Suevia* quidem appellatio
à cujusvis classis Directorio vi Statutorum de anno
1561. art. 20. non ad Cæsarem, non ad Cameram
Imperialem, sed ad omnium Classium Directoria
fieri debet. *Kreidenmann. all. tr. quest. 30.* In *Fran-*
conia vero vigore *der Steiger = Walds = Ritter =*
Berichts = Ordnung de anno 1673. t. 8. indistincte ad
summa Imperii Judicia appellatio conceditur,
addita ratione, quod prima hæc instantia vicem
saltem Austregarum suppleat, ab Austregis autem
ad Cæsarem valeat appellatio. *v. Burgermeist. Stat.*
Equestr p. 565. Quoad *Alatia Nobilitatem* alia olim
fuit, alia hodie est appellandi ratio; priorem tra-
dit *Elſaß. R. D. art. 12.* hodiernam, *Diploma Regium*
de

de anno 1681. quod cum egregium de non appellando privilegium contineat, nec alibi facile occurrat, illud hic subjungere placet :

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROY de France & de Navarre a tous ceux qui ces presentes Lettres verront salut, par nos Lettres patentes du mois de Decembre dernier, par les quelles Nous avons transporté le Conseil de la Noblesse de la Basse Alsace qui estoit séant dans la ville de Strasbourg, dans le Chateau de Niedernheim, Nous avons entre autres choses donné pouvoir audit Conseil de juger & terminer les differends, que pourront avoir les Gentishommes & les habitans des villages dependans de la dite Noblesse de la Basse Alsace, les uns avec les autres, tant pour le Civil, que pour le Criminel, sauf l'appel en dernier ressort en nôtre Conseil souverain d'Alsace séant à Brisack, ainsy qu'il est plus particulierement porté par Nos dites Lettres patentes, mais par ce que par icelles il n'est pas exprimé jusqu'à quelle somme ledit Conseil de la Noblesse devra juger sans appel audit Conseil souverain d'Alsace, & que cette difficulté pourroit faire naitre diverses contestations, Nous avons estimé a propos de declarer sur cela nôtre volonté, sçavoir faisons, que pour ces causes & d'un grace speciale, pleine puissance & autorité Royale, Nous avons par ces presentes signées de nôtre Main donné & donnons pouvoir au Conseil de la Noblesse de la Basse Alsace, de juger & terminer les dites differens tant pour le Civil que pour le Criminel souverainement & en dernier ressort, jusqu'à la somme de deux cens cinquante livres seulement, & jusques à celle de cinq cens livres par provision & a l'instar de ce qui se pratique dans les sieges Presidiaux

diaux de Nôtre Royaume, & dont les parties pour-
ront appeller en nôtre Conseil souverain d'Alsace
séant audit Brisack, si donnons & mandons à Nôtre dit
Conseil souverain d'Alsace & à celuy de la dite Noblesse,
chacun comme il appartiendra, que ces presentes ils ayent
à faire enregistrer, & le contenu en icelles garder faire gar-
der & observer selon leur forme & teneur, sans souffrir qu'il
y soit contrevenu en aucune manier. Car tel est nôtre plai-
sir. En temoin de quoy Nous avons fait mettre nôtre scel à
ces dites presentes. Données à Versailles le cinquième
jour de May l'an de grace Mil six cens quatre-vingt
un. & de nôtre regne le XXXVIII. signé L O U I S & plus
bas par le Roy le Tellier avec paraphe.

Registrées ouy & ce requerant le Procureur General
du Roy, pour être executées selon leur forme & teneur sui-
vant l'Arrest de ce jour à Brisack au Conseil souverain d'Al-
sace le feizième May 1681 signé de grand Maison.

Hactenus de Processu Civili. Sequeretur jam
modus procedendi in causis criminatibus. Verum cum
superius jam dictum sit, quemlibet Nobilem istam
jurisdictionis speciem vi S. T. in subditos suos
exercere, ipsa vero eorum crimina, qui ex ordinis
Equestris gremio sunt, Imperatori punienda re-
servari, inde hic non erimus copiosi. Illud tan-
tum addentes, in posteriori casu, ubi delicta sunt
atrociora & notoria, Directoriis Nobilium Impe-
rii competere capturam, ipsos autem criminosos
Cæsari citissime esse denunciandos, qui inquisitio-
nem dictis Directoriis committere, hæc vero cum
plena actorum relatione votum suum ad Cæsa-
ream decisionem transmittere solet. v. Copiam De-
creti

reti an die Ober-Deſterreichiſche Cantzley in puncto fratricidij und deſſen Beſtraffung apud Auctor. Der außführlichen Deduction des Reichs-Adels contra die potentiores p. 18. & 19. Quin autem tali caſu emergente idem juris Aſſaticæ Nobilitatis Directorio conceſſurus ſit REX CHRISTIANISSIMUS Summa Illius, qua O. E. dignatur Clementia neminem dubitare finit.

Tradito hætenus *Proceſſus ordine* in iudicio hoc obſervari ſolito reliquum eſt, ut quid quoad modum adminiſtrandi in *Politicis & Oeconomicis* Nobilium Deputatis obſervandum ſit, paucis ſubnectamus. Supra autem jam inuimus, omnem eos, quam exercent, ex generali totius Corporis mandato habere poteſtatem. Caveant itaque ne poteſtate iſta in reliquorum membrorum injuriam abutendo, mandati ſui fines excedant; caveant, ne vana ambitione diſtenti novis & inuſitatis redituum exactionibus ſubditos premant, eorumque amorem tollant; caveant etiam, ne juramenti vincula ſuſque deque habentes, jurium Nobilitatis proditores publicæque utilitatis perturbatores ſiant; E contrario autem ſummo ſtudio eò allaborent, quò Conſtitutionibus Politicis Imperialibus Nobiliumque Ordinationibus accurate inſiſtentes cum jurium O. E. conſervatores, tum communis ſalutis deſenſores exiſtant.

CAP. VII.
DE SUBJECTO.

Subjectum istorum Conventuum constituit *Director cum adjunctis Deputatis ac Consiliariis*, de quorum numero vide variantes hac in re Nobilium ordinationes. *Directoris* Officium est, ut cæteros Deputatos ac Consiliarios ad deliberationes invitet, vóta in iis colligat, quæ per majora conclusa sunt confirmet, memorialia & supplicationes pro decernendis processibus recipiat, & omnia negotia ad conservandum O. E. splendorem, & jurium ejus, privilegiorumque incrementum dirigat. Reliquorum vero *Deputatorum* est, comparitione sua *Directori* honorem, universo autem E. O. consilium auxiliumque exhibere. Ne igitur inter hos existant, qui suis potius velificentur honoribus, quam publico commodo, summo in seligendis illis iudicio opus est; ac proinde non assumantur, quos favor humanus, quos divitiarum splendor, quos sanguinis affectus commendat, verum quos animi virtutes, quos ingenii dotes, quos propria merita dignos tanto munere reddunt. Regina inter omnes virtutes *Pietas* est. Agnoverunt hoc ipsi Gentiles ratione falsorum, quos sibi finxerunt, Deorum. *Cicero* enim l. i. de Nat. Deor. *Pietate, inquit, adversus Deos sublatâ, fides etiam & societas generis humani, & una excellentissima virtus, justitia tollatur, necesse est.* Exulet hinc igitur impium illud Machia-

Machiavelli dogma, qui *lib. de Princ. c. 18.* Principem instruit, ut de externa tantum pietatis specie induenda, non vero de sincero cultu & obsequio Deo præstando sollicitus sit. Quam amabilis enim est genuina virtutis species, tam odiosus est omnis fucus. Sicuti autem prima *pietatis*, ita secunda *justitiæ* habenda est ratio, quippe sine qua nullum in terris diuturnum esse potest Imperium. *N. N. zu Regensp. de anno 1603. §. Wie hoch und viel Dann. 45. ibi: als ohne welche kein Reich oder Gubernament in der Welt immer kan bestehen &c.* Remotâ namque justitiâ, quid regna sunt, nisi magna latrocinia? quærit *Augustinus*. Meminerint hinc nullo non tempore Deputati nostri se æque ac alios judices debitores esse justitiæ, indeque non nisi prævio semper accuratissimo tum facti secundum minimas illius affectiones & circumstantias cum ipsarum LL. examine, animo à cunctis affectibus libero, & citra omnem prosopolepsiam ad judicandum sese accingant. Vicina justitiæ est *prudentia*; prudentis enim est, gravi judicio examinare, quid justum, quidve injustum sit, maxime cum vitium sæpius virtutis speciem præ se ferat, juxta illud *Ovidij de Rem. am. 1.*

*Et mala sunt vicina bonis errore sub illo
Pro vitiiis virtus crimina sæpe tulit.*

Prudentiam comitetur *fortitudo* & *magnanimitas*, qua quis arduas & periculi plenas res aggreditur, & injustos adversariorum conatus depellit: Nam

F 2

Rebus

*Rebus angustis animosus atq̄
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.*

inquit *Horat. Od. 10. n. 2.* Calumniarum inde vel
invidiæ metu Deputati nostri non frangantur, nec
divitiis, honoribus, voluptatibus moveantur,
quo animum demittant, aut extollant, sed hæc ta-
lia magno invictoque animo despiciant ac con-
temnant. Fortitudini adjungimus *liberalitatem &
alienum ab avaritia animum.* Uti enim liberalitas
Nobiles inprimis decet, ita avaritia Nobilitatis ini-
mica est, & certissimum vilitatis argumentum.
Eliminent itaque Deputati eò impensius è pecto-
re suo omnem habendi cupiditatem quo facilior
in aliena involandi ipsis est occasio. Meminerint
omnium malorum matrem esse avaritiam, præser-
tim si judicum inhæreat animabus. *Nov. 8. in pr.*
Unde illud *Juvenalis:*

*Inde fere scelerum causa, nec plura ve-
nena*

*Miscuit aut ferro grassatur sapius ullum
Humana mentis vitium, quam sæva
Cupido*

Indomiti census &c.

Libe-

Liberalitati addimus *temperantiam*. Quomodo enim quæso! aliis digne imperabit, qui sibi imperare nescit? Nec bonum quid esse potest in animo per libidinem corrupto. *Tacit l. ii. annal.* Est enim ebrietas & libido omnium flagitiorum fomes & criminum origo. Viti hujus incommoda graphicè depicta accipe his *Vergilij* verbis:

*Nec Veneris nec tu vini capiaris amore,
 Uno namq; modo Vina Venusq; nocent.
 Ut Venus enervat vires, sic copia Vini.
 Et tentat gressus, debilitatq; pedes.
 Multo cæcus amor cogit secreta fateri,
 Arcanum demens detegit ebrietas!
 Bellum saepe petit ferus exitiale Cupido,
 Sæpe manus itidem Bacchus ad arma
 vocat,
 Denique cum mentes hominum furiarit
 uterq;
 Et pudor, & probitas, & metus omnis
 abest,
 Compedibus Venerem vinclisque astringe
 Lyæum,
 Ne te muneribus lædat uterq; suis.
 Vina sitim sedant, natis Venus alma cre-
 andis,
 Sed fines horum transsiluisse nocet.*

Non minus vero in Deputatis desideramus *clementiam*, quippe qua ducti pro rerum, temporum, personarumque circumstantiis stricti juris rationem mitigare, & ad misericordiam potius, quam ad severitatem deflectere debent; memores subinde illius *Seneca*:

*Pulchrum est eminere inter Illustres Viros
 Consulere patria, parcere afflictis, ferâ
 Cede abstinere tempus atq; ira dare,
 Orbi quietem, seculo pacem suo.
 Hac summa virtus, petitur hac cælum via.*

Non tamen ita comparata debet esse eorum clementia, ut omnem severitatem excludat, sed asperitas cum lenitate ita est miscenda, ne illâ civium animi exulcerentur, hâc corrumpantur. Clementia involvit *humanitatem* & in audiendis partibus *facilitatem*. Observandum enim est jus reddenti, ut in adeundo facilem se præbeat per *l. observandum ff. de offic. presid.* Ne vero talis affabilitas in nimiam degeneret familiaritatem, cum decenti gravitate in sermone, conversatione, corporisque habitu maxime conspicua temperatam eam esse decet. *Veritatem* porro atque *candorem* ab hoc nostro iudice separare, omne illius officium subvertere esset. Quid enim indignius homine mendace? Quid turpius adulate? Molesta equidem vulgo circumfertur veritas, eò quod odium pariat,

Namq;

*Namq; hoc tempore
Obsequium amicos, veritas odium parit.*

Terent. in Andr. l. i. i. Hinc etiam non parvus inter ipsos etiam Nobiles eorum existit numerus, qui simulationibus, adulationibus atque assentationibus dediti sunt, adeo quidem, ut sit juxta *Ovid. l. 2. de Pont.*

Candor in hoc ævo res intermortua penè ;

Nihilo tamen fecius, imò eo impensius in id incumbant Deputati, ut optimo exemplo prælucentes animi sui integritatem, ingenuique oris candorem ubique exferant. Dum autem candidos & apertos illos cupimus, non intendimus, ut ex ista animi sinceritate intempestivo sermone divulgent, quæ decenti silentio continenda sunt, verum *taciturnitatem*, regalem procul dubio virtutem quam maxime commendatam iis volumus. Nam

*Eximia est virtus, præstare silentia rebus,
Ast contra gravis est culpa, tacenda loqui.*

Ovid. l. 2. de art. am. Caveant itaque ne immoderata dicendi libidine arcana officii sui commissa prodant ; caveant etiam, ne perpetuum silentium foventes elingues ac muti censeantur, aliisque molesti sint ; verum sub eo moderamine linguam

quam contineant, ne aut laxa in vitium defluat, aut restricta nimis ab omni utilitate torpescat. *Religiosi*, præterea *fidei date observatores*, existant, nec tuendis tantum totius ordinis privilegiis, sed & defendendis singulorum membrorum juribus summam industriam ipsi adhibeant. Sint denique *constantes*, talique perseverantia animum suum obfirmant, ut

*Nec umbra aliorum nemorum, nec mollia
possint*

Prata movere animum.

Virg. l. 3. Georg.

Hæ sunt præcipuæ, quæ in Nobilium Deputatis requiruntur *animi virtutes*; considerandæ jam veniunt *ingenij dotes, corporisq. pariter ac fortuna bona*. Primas inter ingenii dotes fert *eruditio*, quæ duabus absolvitur partibus, *theoria & praxi*. Illa per diligentem legum, statutorum, consuetudinum, jurium, privilegiorum ruminacionem comparatur, hæc per frequentem & exquisitam negotiorum in vita Civili obvenientium pertractationem obtinetur. Utramque Nobilium Deputatis in tantum necessariam esse ducimus, ut licet animus scientia non perfundatur, tamen imbuatur *Lipsius ep. 74. cent. 1.* Quomodo enim quæso! cognoscendis ac dijudicandis partium controversiis, quomodo administrandis totius E. O. juribus pares existent, qui literarum cognitioni nullam impenderunt operam? Alienis vero manibus & oculis omnia cre-

credere, nihil incertius, nihil periculosius est. Præter literarum autem peritiam *aliarum* quoq; *artium ac disciplinarum studia* sibi quam maxime commendata habeant Deputati nostri, quæ quidem longa ferie hic recensere animus non est, B. potius L. ad eos remittimus, qui quæ judicem in genere consideratum deceant, literis tradunt v. inprim. Keller. de offic. jur. pol. Zypæus de jud. magistr. Sen. & Rulandus de Commissar. Restat igitur, ut de corporis fortunæque bonis paucas adhuc subjungamus quæstiones. Quarum prima sit *an in conferendo Deputatorum munere corporis proceritas & forma præstantia spectanda sit?* Et sunt quidem qui eam in omni judice requirunt, nos illam vero non moramur, modo mens virtutibus egregiis exornata sit. Secundo Quæritur, *an ætatis habenda sit ratio, & an juvenilis an vero senilis sit præferenda?* Peccari autem hic utrinque solet, cum vel adolescentuli auctoritate destituti rerumque imperiti senioribus præferuntur, vel illis plane exclusis, senibus admodum decrepitis, quorumque vigor deficit officia talia conferuntur. Nos media incedentes via ætatem nec nimis juvenilem exigimus, nec nimis senilem ad ingenium iterum & prudentiam, quæ annos sæpenumero supplet, respiciendum esse censentes, ita tamen ut ad ductum l. 8 ff. de mun. & hon. haud facile quisquam admittatur ante vigesimum quintum ætatis annum, quippe quo demum rebus suis administrandis idoneum ac sufficientem hominem reputant LL. Civiles. Tertio Quæritur, *an divitiis præ cæteris Deputatorum munus committendum*

G

dum

dum sit? Et tanta quidem est hujus temporis miseria, ut nullus publicæ rei capeffendæ magis videatur idoneus, quam qui plurimum dives; secundum illud *Horatij 2. Serm. 3.*

— — — — — *Omnis res*
Virtus, fama, decus, divina humanaque
pulchris
Divitiis parent, quas qui construxerit ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam &
Rex
Et quicquid volet.

Verumenimvero cum non curandum sit, quid fiat, sed quid fieri debeat, non video, cur vir honestus, de cujus vitæ antea actæ integritate constat, diviti ob solam fortunæ assistentiam sit posthabendus, maxime cum quas fortuna hodie dedit, cras iterum auferre possit divitias. Hinc etiam *Plato* illos, qui utiliter ac decenter officio suo fungi volunt *l. 7. de Repub.* monet, *non ut divitias sectentur, sed ut bonis animi divites existant, utq; justitia, sapientia, pietatis auro abundant.* Magis autem controversa videtur quarta quæstio, qua disquiritur, *an peregrini, an in patria nati ad hoc officium sint assumendi?* Sunt enim inter *Politicos*, qui *peregrinos* ab officiis publicis prorsus excludunt, non nisi *indigenas* ad ea promovendos esse censentes: Sunt vicissim, qui ea ipsa credere *exteris*, quam *suis* malunt: Nobis inter ista sententiarum divortia eorum arridet
 opinio,

Opinio, qui præsuppositis præsupponendis potio-
 tiorem semper indigenarum, quam exterorum rati-
 onem habendam esse suadent: Cum enim indigenis
 innatus quasi sit erga patriam & commune bonum amor
(nemo enim tam ingratus est, tam impius, qui si patriæ merita resumere velit, non eam magis, quam se ipsum diligit Cic. in Vatm.) non immerito multo diligentius, multo fidelius res sibi commiffas administraturi præsumuntur, quam alienigenæ quibus nec Civium ingenia sunt nota, nec ita-
 tuta perspecta, nec explorati mores. Quinto Quæritur, *an in deferendo Deputatorum officio Stemmatis & familie antiquitas observanda sit?* Sæpius autem evenire solet, ut qui in Majorum suorum Nobilitate delicias quærunt, noviter nobilitatos insolenti fastidio contemnant, & indignos tanto munere judicent; Verum meminerint tales, omnia, quæ nunc vetustissima videntur, nova fuisse, nec aliam omnium Nobilium etiam antiquissimarum profapiarum fuisse originem; ac licet proinde nec ipse diffitear, præferendum in dignitatibus esse, quem non propria solum, sed & majorum claritas commendat, tantum tamen abest, ut propter propriæ virtutis splendorem recens nobilitatus plane excludendus sit, ut potius in ipso etiam honoratori hoc officio antehabendus illi, qui à parentum virtute deficit, & famosis solummodo majorum tabulis gloriatur. Sexto Denique non immerito dubitatur, *an expediat O. E. libero potentiorum aliquem & superiorem in Directorem generalem & perpetuum eligere?* Affirmat hoc Casp. à Lerch de O. E. p. 2. n. 120.

f. 289. Cautè vero hac in re nobis versandum esse videtur, metuendum enim est, ne Magnates successu temporis solis sibi hoc officium vindicent, reliquos Nobiles inde excludant, & ex domnandi libidine heroicis spiritibus ut plurimum innata, absolutum in reliquos Imperium affectent.

CAP. VIII. DE OBJECTO.

TRansitum jam faciamus ad recensenda præcipua, circa quæ dicti Deputatorum Nobilium Conventus versari solent, negotia. Sunt autem illa juxta distributionem superius jam, ubi de fine egimus, factam, triplicis potissimum generis; alia *juridica*, alia *politica*, alia *æconomica*.

Juridica negotia vel *personas* concernunt, vel *res*. *Persona* quænam illæ sint, & qua ratione forum istud sortiantur *c. VI. de forma* docuit. *Res* vero in judicium deducendas specialiter hic definire, ob earum multitudinem & variantem admodum Directoriorum conditionem haud parum difficile est. Optime vero hoc illustrabunt cujusque loci usus, & quæ prodierunt, Nobilium ordinationes.

Politica negotia absolvit cura omnium eorum, quibus tranquillitas publica firmatur, & Nobilitas Immediata conservatur. Tot vero illorum reperio capita, ut modus exercitii hujus Academici præter opinionem inter manus longius excrescentis ea vix capere possit; Præcipua igitur hic
retu-

retulisse sufficiat. Primum autem præ cæteris locum obtinet *religio*, utpote à qua non temporalis tantum, sed & aeterna felicitas dependet. Hinc sedulo non solum prospiciant Deputati, ut omnibus & singulis Nobilibus religionis beneficium per *R. I. de anno 1555. §. und in solchen Frieden concessum* & per *Instrum. Pac. art. 5. §. 28.* ipsis perinde ac reliquis Imperii Statibus confirmatum, sartum tectumque conservetur, nullisque plane impedimenti sistatur; verum provideant etiam, ne ob religionum diversitatem dissidia & contentiones inter Nobilium familias quovis modo exoriantur. Quis enim non expertus est, rebus admodum pacatis ex minimo religionis dissidio gravissimos sæpius motus subito fuisse exortos? Laudabiliter inde Sueviæ, Franconiæ, & ad tractum Rhenanum correspondentes Nobiles liberi referente *Knipschild. de Nob. l. 3. c. 26. n. 34.* anno 1609. inter se convenerunt, & inter alia articulo sexto ordinarunt & promiserunt, quod nullam in posterum ob religionis diversitatem discordiam inter se movere, sed concordii studio & sincero amore se invicem amplecti velint; haben sich verglichen und einander zugesagt/ daß sie fürbaß ohn Unterscheid der Religion einander rechten wahren treuen meinen/ ein jeglicher dem andern sein Recht guntzen/ ihm dasselbige/ wie auch seine Ehre/ und Gut recht verthätigen helfen wollen. add. *Fräncf. R. D. p. 1. t. 1. Elsaß. art. 16.* Quo vero genuina religio & sincerus Dei cultus eò melius stabiliatur, *de eliminandis omnino vitiis* ante omnia cogitent Deputati,

indeque si membra à recto virtutis tramite defle-
 ctant & gulæ v. g. Veneri, rixis, execrationibus
 sese dedant, gravissime eadem vel ut ad frugem re-
 deant exhortentur, vel si parere nolint, è con-
 fortio suo excludant. *O. M. de anno 1560. art. 38. Vi-*
duarum porro atque *orphanorum* ipsis non minus
 ac aliis Magistratibus ab omnipotente Deo injun-
 ctam curam habeant, querimoniis illorum faciles
 aures prabeant, atque personas æque ac bona à
 potentiorum & improborum insultibus strenue
 defendant; Inprimis vero minoribus atque pu-
 pillis post obitum parentum, qui nullos testamen-
 to ordinarunt, bonæ probatæque fidei *tutores* ac
Curatores constituent, durante administratione in
 eorundem mores diligentius inquirent, & utrum
 tam in persona pupilli educanda, quam bonis ad-
 ministrandis officio suo rite defungantur dispi-
 ciant. Finita tutela vel singulis potius annis tu-
 telæ rationes confici curent, easdemque accurate,
 non perfunctorie examinent. Quod si male ad-
 ministraverit tutor, non solum ab administratio-
 ne ipsum removeant, verum etiam ad damnum
 dolo, culpa lata vel levi datum resarciendum eum
 condemnent per *l. quicquid C. arbit. tut. l. a tutoribus*
33. in pr. ff. de administ. & peric. tut. l. cur. Religionis
 & personarum, uti vocantur, miserabilium curæ
 subjungimus *curam immediata dependentia ab Impe-*
rio Quemadmodum enim omnia & singula No-
 bilitatis membra in Ordinationibus suis promit-
 tunt, quod una cum posteris & subditis suis con-
 stanter & perpetuo sub immediata Imperii &
 Impe-

Imperatoris jurisdictione permanere velint v. Schwab. R. D. art. 1. Franck. p. 1. 2. 3. Rhein. p. 1. 2. 3. Elſ. ſ. 1. ita Directorum atque Deputatorum est sedulo invigilare, ne prædicta membra subjectionem Principum mediatam vel ipsa moliantur vel ab illis per vim injustam vel fraudem eximantur. Hinc quamvis feudi concessio & acceptio Superioritatem & Subjectionem per se non inducat, per ea, quæ superius dicta sunt, cum tamen Investituris tales quandoque inferi soleant clausulæ, quæ Immediatorum Nobilium libertatem magno periculo exponunt, in examinandis illis caute versentur, ne quis sub specie beneficii feudalis dictæ libertatis jacturam patiatur v. Schwab. R. D. art. 2. Elſaß. *cod.* Non vero tantum de immedietate quoad personam Nobilium membrorum conservanda, verum etiam de *bonis eorum* quo in contributione permaneant, solliciti sint Deputati. Quid enim juvat O. E. matricula, nisi ea in suo vigore conservetur? Summo itaque studio caveant, ne bona Nobilium libera absque illorum consilio, atque scientia in alios transferantur aut si jam fuerint translata, ut collectæ tamen ac contributiones à novis possessoribus ad Ordinis Cassam deferantur. Plura desuper extant insignia ab Imperatoribus concessa privilegia v. *privil. Maximiliani II. de anno 1566.* Suevicæ; *Rudolphi II. de anno 1609.* Franconicæ; & *ejusdem Rudolphi anno 1605.* Rhenanæ Nobilitati concessum. adde *privil. Matthiæ anno 1614.* Alsatia Nobilibus impertitum & à *Ferdinando III. anno 1652. sollemnissime confirmata.*

firmatum. Nec minus memoratu dignum est, *de jure retractus privilegium*, quod *Ferdinandus II. anno 1624. O. E.* eodem fine primum concessit, & *Impp. Ferdinandus III. & Leopoldus* postmodum non tam obfirmarunt, quam extenderunt, vi cujus competit jus retrahendi omnia bona alienata contra extraneos cujuscunque Status ac dignitatis, primò quidem alienantis Agnatis & Cognatis, dein cuivis alteri membro & tertio demum universo corpori. Sedula igitur hic iterum eluceat Deputatorum cura, quà provideant, ne insigne istud jus vel à potentioribus O. E. intervertatur, vel longa usus intermissione plane intercadat. Conf. *Knipschild. l. 3. c. 7. & 9. Ertel observ. illustr. 6. & 49.* Quemadmodum vero, uti jam dictum, exemptio Nobilium membrorum eorumque bonorum Corpori admodum nociva est, ita è contrario optime eidem consulitur, si in numerum familiarum extinctarum aliæ substituantur, Directores itaque cum adjunctis Deputatis, à quibus istiusmodi receptio petenda est, si officio suo rite defungi velint, in recipiendorum virtutem, mores, res gestas & vitæ anteaactæ conditionem probe inquirent, deque illis ad reliquos districtus illius Nobiles in publico deferant; ipsam enim receptionem & immatriculationem non nisi consentientibus omnibus illis fieri posse, qui de eo districtu sunt innuunt verba *Recessus Mergentheim. de anno 1651. §. 12. ibi: Ist dabey rathsam erachtet worden/ daß vorderst derjenige/ so sich zu recipiren sucht/ solches bey des Drs Ritters Hauptmann und Râthen schriftlich anbringe/ welche*

che dann ꝛ. solches auff nechsten Ritter- oder Drts-
 Tag der übrigen Mitgliedern referiren ꝛ. *add. Recept.*
 der des fünff Drts *Convent de anno 1694. Maximum*
 porro dignitati O. E. conservandæ momentum
 addent Deputati, si non simplicem tantum cum
 potentioribus ac Vicinis amicitiam foveri, ꝛ.
 Schwab. R. D. art. 3. Elsaß. art. 3. verum etiam
 necessitate vel utilitate O. E. id exigente, fœdera
 cum iisdem contrahi curent. Competit hoc no-
 mine non universo solum Corpori, verum & sin-
 gulis collegiis *mittendorum* ad Cæsarem, ad exteros
 Reges, aliosve Principes ac Status *Legatorum jus,*
 comprobantibus id satis, quæ in utramque par-
 tem prostant, exemplis, *Nolden c. 17. n. 149. & Kulp.*
de Legat. Stat. Imp. c. 8. n. 17. Cum vero omnibus
 hisce & reliquis expediendis soli vix sufficiant De-
 putati, constituendorum denique *officialium curam*
 gerant. Elsaß. R. D. art. 28. *ibi:* Die zu obigem und
 diesem allem erforderete Dienst mit tauglichen subje-
 ctis bestellen ꝛ. In illorum autem electione cauti
 atque solliciti sint, ut aptissimi quique eligantur.
 Ingenium inde animique virtutes, & publicum
 comodum perpendant, inhabiles vero, imperitos,
 quique magis, ut ipsis officia profint, quam ut illi
 præ sint, eadem ambiunt, nullatenus admittant. Et
hec quidem sunt, quæ ad politicum objectum referuntur
negotia. De reliquis facile me veniam impetratu-
 rum spero, cum de illis idem fere iudicium sit for-
 mandum. In omnibus enim ad salutem totius
 ordinis imprimis respiciendum est, & ne quid alii
 in contrarium moliantur, omnibus modis præca-

H

ven-

vendum. v. tamen *Kreidenmann. von des Adels Staat und Stand. quest. 4. per tot.*

Oeconomicum objectum *reditus & Jura Nobilium fiscalia* concernit; quæ quamvis ipsum Deputatorum officium primario non afficiant, sedulo illi tamen invigilare debent, quo tum singulorum membrorum jura conserventur, tum ut ex diligenti censuum collectarumque exactione emolumenta in publicum ærarium redundent. Cum autem plura sint Nobilium *regalia juraque fiscalia*, quam ut illis recensendis, nedum, quæ circa singula eorum Deputatis specialiter observanda sint, demonstrandis tempus suppetat, ad eos B. L. remittimus, qui vel in genere Statuum Imperii *regalia* tradunt, vel in specie Nobilium privilegia enumerant; Eminent inter illos *Obrechtus, Mylerus, Faustus ab Aschaffenburg, Klockius & Sixtinus*, inter hos vero *Knipschild, Kreidenmann, Nolden, Lendersheim, & Mauritius in pecul. de Nobil. Germ. dissertatione*. Nobis hic sufficiat, circa quædam duntaxat *jura*, ea scilicet, quorum explicatio reliquis lucem afferre facile potest, Deputatorum Nobilium officium ostendere. Et primo quidem cum Nobiles Imperii Immediati non minus ac alii Status in auctoramentum & compensationem sumtuum viis publicis, quas tutas comitantibus præstare tenentur, pontibusque reficiendis impendendorum jus exigendi in ditionibus suis *vestigalia* sæpenumero habeant, v. *Lendersheim. de jur. & priv. Nob. art. 11.* curæ Deputatorum Directrici incumbit, quovis modo providere, ut *vestigalia* debito loco exsolvantur,

vantur, ac ne vel novorum teloniorum erectione, vel alia quavis ratione à Vicinis Potentioribus Nobilium juribus præjudicetur. Caveant porro, ne publicani plus æquo tributa exigentes & lucrum ex omni causa quærentes præponentium dignitatem fœdent, & pecuniis acerbe conquirendis, plus invidiæ, quam virium colligant. Speciales inde, quò modus in exactione fervetur, ordinationes condi curent, in iis vero caute versentur, ne tale quid inferatur, quod innovationem vel reformationem vectigalis quovis modo sapere possit. *Klock. de vectigal. concl. 74.* Quod si ob defraudatum vectigal res transportatæ publicentur, quæ poena defraudantium vectigal est per *l. fin. § quoties. 3. ff. de publican. Sixtin. l. 2. c. 6. n. 162. & seq. Klock. l. c. concl. 85.* sedulo iterum prospiciant, quò in rei in commissum delapsæ persecutione legitime procedatur. *Klock. de arar. l. 2. c. 63. Myler. de Pr. & St. J. c. 64.* Cum autem varia *vectigalium* sint genera, ita ut vocabulo illo late accepto non tantum veniat *onus* illud *reale*, cujus hactenus mentionem fecimus, verum etiam omnia illa comprehendantur *tributa*, quæ in Nobilium pagis ob distractionem vini, frumenti, carnis, aliarumque mercium solvuntur, vulgo *Gabella*, *Accisia*, & Germanico idiomate *Ungeldt/ Frucht/ Fleisch/ und Krämer*-Accis dicta, *Besold. de arar. c. 4. n. 16. fol. 107.* nec non jus detractionis, *Abzug/ Nachsteuer* &c. *Klock. de vectig. conc. 63. Besold. d. l. c. 4. n. 4 fol. 103.* Salinarum itidem ac piscariarum redditus *Engelhardt de Jur. vectig. concl. 4. n. 3. vers. 6. &*

omnes denique collectæ rurales à subditis exigi solitæ, in documentis, Brand/ Steuren/ Zins/ Schoß/ Schatzung &c. nuncupatæ, omnia hæc in tantum Deputatorum fidei ac diligentiae commissa censemus, ut in exigendis ac colligendis illis auxiliatrices manus membris præbeant, ne vero hæc citra definitam quantitatem subditos premant, & cum lachrymis & sanguine eorum privatum rerum suarum commodum quærant, summo studio provideant. Neminem porro latet, quam variæ *ex jure venandi & jurisdictione forestali non minus quam jure fluviativo*, quod species juris venatorii est, Nobilibus Immediatis obveniant utilitates, quas partim specialis concessionis, partim præscriptionis, partim superioritatis Territorialis jure sibi vindicant *Abasv. Fritsch. corp. Jur. ven. for. Tiraquel. de nob. c. 37. n. 139. Cass à Lerch. de ord. Equest. p. 2. n. 72. Knipschild. l. 3. c. 5. Nolden. c. 17. n. 118. &c.* Sedulam igitur & hisce juribus tuendis operam impendant Deputati, ac ne vel longa usus intermissione extinguantur, vel contrario aliorum exercitio imminuantur invigilent. Eandem solitudinem reliquis *juribus fiscalibus alijsq. Nobilium privilegiis*, à quorum enumeratione nimis longiori jam abstinemus, conservandis adhibeant.

Restat, ut de O. E. arario paucis dispiciamus. Et à prima quidem illius ut Corporis origine, quæ præ nimia antiquitate demonstrari vix poterit *Datt de pac. publ. l. 2. c. 3.* nullum aliud ad hodiernam usque diem ipsi fuit ararium, quam census & contributiones, quæ ex bonis O. E. libero semel incor-

incorporatis ad communem Nobilitatis Cassam zu
 der gemeinen Ritter Truckhen deferuntur. Istud
 vero collectandi jus vi immemorialis consuetudinis
 ac praescriptionis, nec non tot ac tantorum Casa-
 reorum diplomatum, O. E. competens, exercent
 non singuli Nobiles, sed ipsa Collegia & Directoria,
 publicum inde ad distinctionem illius, quo singula
 membra tanquam fructu jurisdictionis fruuntur,
 quodque collectas privatas ac rurales compre-
 hendit, à nonnullis dictum *Schrvveder. part. spec.*
sect. 2. c. 18. n. 11. Obtinet autem non tantum in
 iis, quæ ad Imperatoris requisitionem, datis literis
 reversalibus de non præjudicando factam, pro im-
 perii salute v. g. ad expeditionem contra Turcas, ad
 alendum militem, onera quaternionum, transitus
 militum &c. exsolvuntur, verum etiam si quid ad
 ipsius Ordinis conservationem, pro salariis Offi-
 cialium, pro sumtibus Legationum, Proces-
 suum &c. impendendum est. v. *priv. Maximil. II.*
de anno 1566. ibi: und so oft es die Nothdurfft erfor-
dert: priv. Rudolph. II. de anno 1609. ibi: und andere
zu des Ritterschafftlichen Besens Unterhalt per
majora unter ihnen bewilligte Unlagen 2c. Modum
 collectandi veterem, iis scilicet temporibus usita-
 tum, quo Prælati, Comites ac Barones, cum Nobili-
 bus Suevico adhuc fœdere continebantur, docent
 Unionum tabulæ à *Dn. Dattio de pac. publ. l. 2. c. 11.*
12. 16. 22. 32. relatæ. Modernus in eo consistit, ut
 subditi jurejurando adacti fortunarum suarum
 æstimationem profiteantur, & secundum istam
 virium patrimonii professionem collectæ distri-
 buan-

buantur. Quò vero in ista onerum partitione æqualitas fervetur, *ex officio Deputatorum* erit, studio-
sa inquisitione providere, ut ex fide & religione præstiti juramenti cuncta designentur, & ut quan-
titas rata citra subditorum injuriam pro faculta-
tum modo inter ipsos distribuatur. *Klock. de contr. c. 17. n. 171. & seq.* Qui enim ultra debitam quan-
tatem subditos gravantes, aut ex partium stu-
dio alii præ alio faventes non tam publicum æra-
rii, quam privatum sui suorumque compendium perquirunt, harpyiarum potius, quam boni Viri nomen mereantur.

CAP. IX. DE EFFECTU.

Effectus Conventuum Nobilium Deputatorum conspiciuntur tam *ex parte Corporis*, quam *ipsarum Deputatorum*. Utrunque alii *primi* sunt, alii *orti*. *Effectus* ex parte *totius Corporis* *primus* est *obligatio*, ex ipsa illius Conventionis natura, qua delineata hætenus potestas in Deputatos translata est, proveniens, vicujus non tantum ab omni injuria Deputatos tueri, verum etiam honorem atque auctoritatem eorum quovis modo stabilire tenetur. Cum enim illi totum Corpus repræsentent, adeo quidem, ut quoad negotia cujusque quaternionis communia expedienda majorem præ aliis ex communi consensu habeant libertatem, nihil omittendum est, quo magis eorundem dignitas firmari atque adaugeri possit. Concesso enim officio reli-
qua

qua etiam necessario concedenda sunt, sine quibus officio quis commode defungi nequit per *l. 2. ff. de jurisd.* & in moralibus qui dat finem, dat ea quoque, quæ ad finem perducunt. *Grot. 2, 14. 11. & 3, 1. 2. 3.* Non melius autem Deputatorum existimationi consulitur, quam si ipsa membra exemplo suo aliis præeuntes debita reverentia eisdem prosequantur. Cui consequens est, si forte negotii gravitate vel O.E. necessitate exigente omnium membrorum Conventus à Directorio indicatur, ut omnia & singula vel in propria persona comparendo, vel ubi personalis præsentia adeo necessaria non est, nuncios suos mittendo Directorio obsequium, O. vero laboranti auxilium exhibeant, quæ in illis Conventibus proposita, deliberata, & per majora conclusa sunt, approbent, & collectas promissus prestare non renuant &c. *Græncf. R. D. t. 5. Rhein. t. 5.* Secundum ex parte totius corporis effectum ponimus in obligatione ad constituendum & præstandum Deputatis congruum salarium, & ad remuneranda bene de re publica meritorum officia. Quemadmodum enim extra statuta salaria munera accipere quovis iudice indignum est, quicquid etiam moderna Moralistarum industria conquirit, ut in genere licitorum illud ponat, ita quin publica salaria iis, qui aliorum negotiis inserviunt, & ex summa æquitate constituentur & citra existimationis læsionem acceptentur, nullum est dubium
Et

*Improbis ille labor, quem præmia nulla
sequuntur*

Juv. Satyr.

Cum

Cum etiam haud raro contingat, ut Deputatorum uni vel alteri præter ordinaria alia demandentur negotia, v. g. ut vel legationis obeundæ vel alius rei causa alio proficiscatur, Corpus, quod opera & ministerio illius utitur, non tantum *ad impensas*, si quas fecerit, *restituendas*, sed & *ad damnum* intuitu hujus negotii *datum resarciendum* tenetur. Nihil enim tam naturale est, quam ut sumtus is subministret, cujus gratia actus celebratur *l. sed etsi II. §. I. ff. ad exhib. Schwab. R. D. art. 41. Elsaß. art. 27. ibi: und Sie derowegen gegen aller-
männiglich aller Bürd/ Lasts/ Entgeltnuß/ Schadens und Beschwähnung jederzeit vertretten/ ent-
heben/ und schadlos halten zc. Quartus* denique & *præcipuus ex parte totius Corporis effectus* est, quod illa, quæ per majora conclusa sunt firmiter obligent, non modo singula Nobilitatis membra, verum etiam eorum successores & hæredes & omnes illorum subditos. *v. Els. R. D. art. 27. ibi: was Sie
auch hierauff berathschlagen/ fürnehmen/ handeln/
thun und lassen/ das alles heißt und ist unser guter
Will/ sollen und wollen auch solches alles zugleich als
ob es durch uns gemeinlich und insonderheit beschehen
wäre/ festiglich halten zc. add. Ordin. Nob. Suev. art. 24*
Ex parte Deputatorum variæ itidem prostant obligationes, quæ in eo generaliter consistunt, ut ex fide & religione præstiti juramenti diligenter officio suo defungantur. Plura autem sub juramenti hujus præstatione continentur capita, formulam. *v. in der Fräuck. R. D. t. 2. Rhein. t. 2.* quæ tamen ad *duo* potissimum revocamus. *Unum* quod in conservanda & augenda totius Ordinis digni-

dignitate ac splendore, nec non in fideli jurium
 ejus privilegiorumque tuitione consistit, & *alte-*
rum, quod religiosa justitiæ administratione absol-
 vitur. *Illud* optime præstabunt Deputati, si in ipso
 statim officii suscepti limine omne odium priva-
 tasque similitates deponant, & ad boni Viri exem-
 plum sincera affectione singula Nobilitatis mem-
 bra prosequantur; privatae enim factiones rei pu-
 blicæ utilitatem impediunt, cum mutuus singulo-
 rum amor omnium optime eandem promoveat.
In administranda vero *justitia* ita versentur, quo non
 ex gratia; non ex privata affectione, sed ad solam
 Legum normam æqualiter & citra omnem proso-
 polepsiam jus reddant. Sequantur hac in re regu-
 lam à Supremo omnium judice DEO ipsis æque
 ac aliis judicibus præscriptam *Deutr. i. ibi: Audite*
causas inter fratres vestros, & judicate juste inter virum
& fratrem ejus, & inter peregrinum ejus. Non agnosce-
tis facies in judicio, ut parvum sic & magnum audiat,
nec quenquam mortalem formidetis: judicium enim hoc
DEI est.

Hæc de effectu primo, quem in mutua univer-
 si Corporis & Deputatorum erga se invicem ob-
 ligatione constituimus; Superest, ut de remediis,
 quibus obligatio ista in effectum deduci potest,
 paucis dispiciamus. Competunt illa vel ipsi *No-*
bilium Corpori, vel *Deputatis*, vel *subditis aliisve* *leſis*.
 Quod ipsum *Nobilium Corpus* attinet, in Deputato-
 rum vitam, mores, gesta, fidelitatem inquirere,
 & si de eorum culpa, dolo, negligentia concredi-
 tæ potestatis abusu per sufficientia indicia consti-
 terit, non tantum ad damni inde provenientis re-
 I stitutio-

stitutionem eos compellere, verum etiam remotione aliove modo in ipsos animadvertere potest. Longe enim deterioris alias conditionis forent Immediati Imp. Nobiles, quam quivis alii jure Superioritatis Territorialis Magistratus constituentes, quippe quorum jus constituendi revocationem etiam atque remotionem ab officio includit. *Mev. pari. 2. Dec. 12. n. 5. 6.*

Deputatis è contrario prodita est extraordinaria ad petendum salarium actio *l. i. ff. de extr. cogn. ibiq; Wesembec. in parat. l. 7. in pr ff. mandat.* Quamvis enim alias ad obtinenda laboris stipendia vel actio locati vel præscriptis verbis competat, cum tamen actiones istæ ad illiberalium artium functiones proprie pertineant, hujus loci non sunt. *Stryck. de conv. advoc. c. 2. n. 81. seqq. Gryphiand. Oeconom. Leg. l. 1. c. 16. n. 106. 107. Struv. Synt. Jur. Civ. exercit. IV. th 11.*

Subditis denique aliisve per sententiam aliove modo *lasis* concessa itidem de jure sunt remedia, quibus, modo modeste hoc faciant, citra reverentiæ *Deputatis* alias debitæ læsionem utuntur, maxime cum totius Ordinis interfit, ne subditi inique vexentur.

CAP. X. DE CONTRARIIS.

AD *contraria* Conventuum *Deputatorum Nobilium* referri certo respectu possunt omnia illa, quæ pro impedimentis & defectibus Conventuum in genere à Doctoribus communiter allegantur; quo-

quorum quidem non omnium, sed aliquorum tantum mentionem faciemus. Ut autem certa methodo procedamus, quædam *ad formam*, quædam *ad subjectum*, quædam denique *ad objectum* referimus. *Ad contraria forma* pertinet *primo tarditas consultationum*, non illa quæ ex negotiorum gravitate & multitudine contingit, sed quæ hominum vitiis adscribenda est. Reperiuntur enim haud raro, qui ex naturali quadam procrastinandi proclivitate materias tractandas diem de die differunt, sunt etiam, qui à facta propositione abstrahentes res eò non pertinentes & planè alienas immiscent, adeoque collationem votorum & conclusum secundum majora formandum non tantum remorantur, sed penitus confundunt. Hi quantum detrimenti publicæ rei afferant, quivis facile iudicabit. *Forma secundo abstania* sunt omnia ea, quæ voluntati, quo minus assensum suum libere impertiatur adversantur, uti sunt dolus, metus, error, obscuritas, ambiguitas &c. quæ cum in privatorum negotiis tantum effectum pariant, *v. Commentatores ad tit. ff. quod met. caus. de dol. mal. & ex quib. caus. maj. in integr. restit.* quid non in causis publicis operabuntur? De dolo ac metu res plana est. Quoad reliqua monendum, ut Director proponens ac vota colligens erranti se amplius aperiat, obscure loquentem, quo distinctius intentionem suam proponat, hortetur, & ambiguum sermonem vel in meliorem partem interpretetur, vel proferentem denuo desuper interroget.

Subjecto. Deputatis scilicet eorumque officio *adversantur* in genere omnia illa vitia, quæ memo-

ratis supra virtutibus opponuntur; In specie vero officium eorum suspendunt ac impediunt primo *Appellatio*, quâ causa ad superiorem devolvitur, ut ab eo denuo cognoscatur ac definiatur *Ziegler Dicast. concl. 51. Secundo Recusatio*, quâ quis propter odium, inimicitiam aliamve causam ut suspectus recusat, ipsa enim naturalis ratio docet, eorum judicia nobis esse fugienda, quos nobis infensus opinamur. *Ziegler alleg. concl. 14. §. 2. Tertio Adversa valetudo & quarto absentia.*

Plane autem Deputatorum officium tollunt *Mors, Remotio, & Resignatio*, modo hæc fiat ex prægnanti causa, nec cum detrimento totius Corporis conjuncta sit. Quin enim hoc casu ad subeundum istud munus tanquam membrum & pars Nobilitatis adstringi quis possit, nullatenus ambigo.

Objecto denique *contraria sunt* omnia illa negotia quorum pertractatio ad dictos Deputatorum Conventus trahi nequit; longa vero serie eadem hic recensere, nec temporis nec instituti ratio permittit. Pedem potius hic figo, eaque, qua decet ratione B. L. precor, velit ea, quæ pro ingenii viriumque facultate hæctenus disserui, æqui bonique consulere, & si quæ vel perperam inserta, vel per incuriam omissa sunt, pro ea, qua pollet eruditione vel corrigere vel supplere.

DEO SIT LAUS, HONOR,
ET GLORIA IN SEMPI-
TERNA SECULA.



AD
VIRUM
Per Illustrēm & Generosissimū
DOMINUM
JACOBUM FRIDERICUM
WORMSER

à Vendenheim

Illustrissimi ac Celsissimi Comit̄is
HANOICI

Confiliarium intimū & summū
Districtuum Liechtenauiensis & Wilstadiensis
Præfectum

Patronum suū

indefesso obsequii studio venerandum

JAm quinto quod abhinc anno tunc omine
fausto

TERTIUS en! scandit Doctorum rite Cathedram
Insigni applausu, dignus honore NEPOS:

Quem studia & virtus minus haud, quam stem-
ma decorant,

Cujusque ex facie mens Generosa nitet.

I 3 O tan-

O tanta, ô Illustris AVUNCULÈ digne NEPOTUM
Triga, quam gaudens Patria tota stupet!

O tanto & digni MATRUM quoque FRATRE NE-
POTES,

Quem Princeps pariter suspicit atque Cliens!
Sed liceat porro, ut quondam mihi vaticinari,
FRATREM cum FRATRUM Triga sequere se-
quens.

Sic duplum trinum perfectum omnino ma-
nebit,

Gaudebit merito, quo Generosa domus.
Sic & in exemplum res rarior ibit, & ætas
Sera suis natis inclyta facta canet.

Sic pridem erepti magni redivivus in illis
Honor erit cunctis gloria lausque PATRIS.
Patria sic olim gaudebit, maxime in illa
Postera *Nobilitas*, tot fruitura VIRIS.

Sic pio Voto

Per Generosò atq; Nobilissimo

DOMINO

PHILIPPO REINHARDO GEYLING

ab ALTHEIM

Equestria jura inauguralibus thesibus
erudite & strenue defendenti

Patrono ac Hospiti suo æstimatissimo
gratulabundus accinit L. M.

GEORGIVS ALBERTVS STEINHEIL V. J. L.

Serenissimis Principp. Palatino - Sponhemieis
nec non Lib. immediatoque Equestri Ordini
infer. Alsatie à Consiliis,

Summa

Summa iterum Musis, GEYLINGI, gaudia
præbes,

Summa brabea Tibi lætus Apollo parat.
Delicium es mundi, nec certe in corpore pulchro,
Quale Tuum est, unquam mens mage pulchra
fuit.

Ita

Generosissimo

DOMINO CANDIDATO,

Qui ob rarissimam ingenii excellentiam,
& exquisitissimam, quam in universa
Jurisprudencia acquisivit, eruditio-
nem, inter præcipua seculi ornamen-
ta referri meretur

accinere voluit


Joh. Henricus Bœclerus,

U. J. D. & Juris Publici

Professor

h. t.

Facultatis Juridicæ Decanus.



Heroum illustris Soboles ac vera Propago,
Alfatix Decus & Nobilitatis Honos,
Quam pulcre, quid sit virtute & sanguine niti,
In Te, nunc Orbem, FAUTOR AMANDE, doces.
Alma

Alma TIBI excelsos dederat Lucina Parentes,
 Addiderant Charites frontis & oris opes.
 Ista parum mihi sunt, clamas, majora requiro,
 Et quæ nos vere nobilitare queunt;
 Virtutis decus & Musarum munera posco,
 Astrææ inprimis Præmia læta sequar.
 Audiit augustas voces Themis alma, chorusque
 Castalidam; Virtus audiit ipsa sonos.
 Ornandum hinc ad TE magno omnes impetu
 currunt

Atque TIBI plenâ dant sua dona manu.
 Nunc etiam condigna parant TIBI præmia, dum
 TE

Associant Summis Juris in Arte Viris.
 Urge opus, & MAGNUM reddes mox, crede, PA-
 RENTEM,

Quod si præstiteris, maxima præstiteris.

Ita

Generosissimo

DN. GEYLING AB ALTHEIM
 Equiti Alfato

Cathedram Inauguralem eximie
 ornanti

applaudere debuit

Johannes Georgius Scherzius,
 J.U.D. & PP. Ord. & Can. Thom.

Est

Est commune malum peregrina incumbere fama
 Atq; repercussa Nobilitate frui;
 Nobilitas in TE proprio splendore coruscat
 Dulce decus stirpis prasidiumq; Tua!
 Nobilitas in TE est duplex sine duplici mente
 Non alius certè candidiore micat,
 Majorum virtus pura orbi lumina spargens
 Fulgurat in studiis, O Generose! tuis
 Te Themis alma suum formosum dicit alu-
 mnum

Atque TIBI summos spondet adire gradus,
 Nobilium Tutatorem te scribit Apollo,
 Opto, sis Cætus summus Apollo Tui.

Hæc observantiæ testandæ
 ergo gratulante animo
 adscriptit

JEREM. EBERH. LINCKIUS,
 D. & PP.



Ascendis cathedram, Virtus comitatur euntem
 Quæ Tibi nascendo jam quoq; prompta stetit
 Pulchra Tibi resonat circum Tua Tempora fama
 Doctaq; quæ dicis, spargit in ora Virum.

K

Pone

Pone novem veniunt Phæbo ducente Sorores,
 Quæ vix Musæum deseruere Tuum.
 Has ubi conspicio, quæ, vis Preconia fingam?
 Illa Tui nunquam Nominis instar erunt,
 Sanguine quem certo, quem Totus imagine Pa-
 trem,
 Quàm melius studiis, quàm Probitate refers!
 Et Tibi, quod par est similis Fortuna minatur;
 Sit precor aſt annis longior illa Patris.
 Hæc quoq; Materies reliquis respondet iisdem,
 Nil hic diſſimile eſt, hi niſi Verſiculi.

gratulabundus cecinit
 perpetuus GEYLINGIANARUM
 Virtutum Admirator

Georgius Wilhelmus Fleischmann,
 J. U. L^{cus}


Extantiores Typothetarum menda ita sunt emendanda, Pag. 10. lin. 7.
 loco Conſil. leg. Conſil. pag. 12. lin. 14. pro l. 6. pone l. 8. pag. 14.
 lin. 10. pro 625. leg. 553. pag. 18. lin. 17. poſt tom. 2. pone l. 6. pag. 19.
 lin. 1. pro x. leg. 4. pag. ead. lin. 23. pro 2. leg. 20. pag. 26. lin. 24.
 pro conſtitutos leg. conſtitutos. pag. 82. lin. 19. pro petatur leg. pe-
 tantur. pag. 33. lin. 8. pro 3. pone X. pag. 40. lin. ult. pro ſolet leg.
 ſolent. pag. 48. lin. 3. dele poſt religioſi & obſervatores, commata.
 pag. 51. lin. 27. pro famoſis leg. fumoſis. Reliqua facilem, ni fallor,
 veniam merentur & impetrabunt.






Rh 217

X 234 46 94





Farbkarte #13

B.I.G.

TRACTATUS JURIDICUS
DE
CONVENTIBUS
DEPUTATORUM
NOBILITATIS

vulgò

Von denen


Ausschuss-Läden

IN LUCEM EDITUS

à

PHILIPPO REINHARDO GEYLING

AB ALTHEIM EQUITE ALS.



ARGENTORATI,

Typis & Sumpibus JOHANNIS BECKII.

M DCC XIV.

